# FRANCISCI BLANCHINI
VERONENSIS
PRAELATI DOMESTICI
ET
PATRICII ROMANI

# OPUSCULA VARIA

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA
Ex ejus Manuſcriptis Libris autographis,
QUI EX TESTAMENTO ADSERVANTUR
IN ARCHIVO AMPLISSIMI CAPITULI
SANCTAE VERONENSIS ECCLESIAE.

## TOMUS PRIMUS.

*ROMAE*, ANNO DOMINI *MDCCLIV.*

Ex Typographia Haeredum Jo: LAURENTII BARBIELLINI
in Foro Paſquini.
*SUPERIORUM FACULTATE.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# BENEDICTO XIV.
## PONT. MAX.

GASPAR ET FRANCISCUS BLANCHINI
FRATRES VERONENSES

Equites ab honore Secretioris Apoſtolici Cubiculi,
Regii Ordinis Jesu Christi Commendatores,
& Patricii Romani

FELICITATEM.

STudium venerationis maximae, etiam in minimis comprobatur; quando apud Pontificem Optimum, Clementiſſimum, in Sanctuarii libra praeponderat aeſtimatio voti, non cenſus. Sua certe externi Tituli nomenclatura haec *Opuſculi*



Digitized by Google

*Varia* adeo videntur exilia, ut non mereantur accedere ad ſublime Throni faſtigium Tuae Sanctitatis, per nos Blanchinos Fratres, qui, deoſculatis Apoſtolicis pedibus, eorumdem Opuſculorum hoc tenue munuſculum geſtimus imponere confertis pluteis Tuae ſelectiſſimae Bibliothecae. Ferat tamen Tui Apoſtolici animi magnitudo, a ſe repellens quaecumque in hominum opinione videntur maxima, tenuia haec Tibi ſiſti; cum aliena non ſint a Miniſterio Sacerdotis Magni, atque a Principis Dignitate. Agunt enim de Anno Chriſti Domini emortuali; de ſacratioribus vivificae Crucis Myſteriis; de officiis Pontificis Summi; de Sacris Imaginibus; de Gnomone Clementino; de Chriſtinae Svecorum Reginae inſigni Monumento, condito in Sacroſancta Baſilica Vaticana; de Faſtis Conſularibus, & Temporum reparatione; de Syſtemate Cycli Juliani Octagrammi, deque ejus uſu apud Romanos, alioſque Populos Romano Imperio ſubjectos; de ſelectis Antiquitatibus Graecis, Latinis, & Palmyrenis; de Romanis Academiis; de decem generibus Aquarum in Urbe; de profunditate Caſtri Candulphorum Laci; deque Albani aeris ſalubritate. Hiſce, aliiſque titulis no-

noſtrum conſilium probari, nedum excuſari fiducia poteſt; qua nobis impetrari curavimus, ut Tu, Beatissime Pater, tutelam Blanchinianorum Opuſculorum non detrectares, imo iiſdem praeſidium pollicereris. Probe noſti, appetente Anno Sancto Maximi Jubilei, fauſto, felici, fortunatoque, alterum noſtrûm Romam ſe contuliſſe, ut hanc Editionem Tuis ſub auſpiciis ornaret. Sed mox Ulyſſiponem profectus ad Regem Fidelissimum Joannem V., in reditu, vix Januam appulit, cum eſt coactus in Patriam remeare, ut rei familiaris curam, poſt obitum Joannis Baptiſtae patris, adminiſtraret. Et quamvis aſſidue ad Sanctitatem Tuam redeundi cupiditate urgeretur, tamen hactenus redire prohibitus eſt. Propterea Tibi abſenti, veluti praeſenti, ipſe, & ego Equites Tui ab honore Secretioris Apoſtolici Cubiculi, oppigneratam offerimus horum *Opuſculorum* dedicationem; ut ita ſuopte ingenio non minus, quam jure ſervitutis, a Patruo derivatae, & a nobis Tuis honorariis famulis debitae, confluat in Paternum ſinum Sanctitatis Tuae quidquid poſthumarum ejus literarum eſt, utpote obſtrictum beneficiis Praeceſſorum Tuorum, ac Tuis, nunquam ex animis Blanchinae Gen-

Gentis ingrata oblivione dilapſuris. Solent nonnulli majorem in modum queri de perniicioſa illorum nepotum incuria inertique negligentia, qui oblivioni quandoque tradunt inſignes quaſdam Lucubrationes, ipſis cum haereditate tranſmiſſas. Ut igitur nemo nobis ſuccenſeat, edi Romae curavimus ſtudio curaque P. Joſephi Blanchini Fratris noſtri Presbyteri Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii de Urbe & à Secretis Tuae Academiae Hiſtoriae Eccleſiaſticae Pontificiae, duo iſta Volumina, Tibi Mecoenati auſpicato dedicata; ut pari jacturae, cladique typorum ope conſuleretur. Huic confirmatae per Tuam beneficentiam Nuncupationi ſin minus decus, pretium certe operis reſpondere cognoſces ex argumentis, in quibus habes & conatus Religioni devotos, ac in poſtrema Epiſtola, ſolidae pietatis inſigne monumentum Pontificum Maximorum officiis conſecratum. Clemens XI. Sanctitatis Vestrae Praeceſſor Optimus, ut incomparabilis animi demiſſionis memorandum ſpecimen daret, ſtatim ac conſtitutus eſt in Supremo apice Sacerdotii ad Univerſalis Eccleſiae munera ſuſtinenda, atque in altum progredi, Deo aſpirante, compulſus eſt, poſt illius tridui conflictum, quo urgendus fuit

ſuit ad conſenſum praeſtandum ſuae Electioni; in mandatis dedit Patruo noſtro viro intimae admiſſionis ejus, ut Spicilegium decerperet ab exemplis Sanctorum Epiſcoporum, & a Vitis Romanorum Pontificum, quaſi ſubſidium tyrocinii, quod ſibi videbatur ponere ad Sacerdotium Magnum humeris vel Angelicis formidandum. Cum enim virtutum omnium baſis, quam Chriſtiana Religio ſubſternit ceteris, habita ſemper ſit animi de ſe demiſſe ſentientis habitudo (quam, Ethnicorum Philoſophis vel de nomine ignotam, profeſſio noſtra vocat humilitatem), non erubuit Sanctissimus Pontifex adjumenta quaerere Apoſtolicae Diſciplinae a privatis etiam ſtudiis hominis conſtituti in Ordine Diaconali; quoniam ipſum obſervaverat, Eccleſiaſticarum rerum ſtudio maxime exerceri, ac delectari. Adactus ergo Franciſcus Blanchinus ad opus aggrediendum, triduano labore collegit ingentem monumentorum ſylvam e Vitis SS. Patrum, atque ex Geſtis Pontificum Romanorum, quos merita Sanctitatis illuſtriora commendabant Saeculis adventuris. In qua profecto conſultatione maximam ſui diffidentiam, ac demiſſum de ſe judicium Clemens indicavit; cum eſſet is, qui

qui doctrina & experimento rerum ita paucos haberet pares, ut tribus ante ſe Pontificibus intimus Conſiliarius in arduis quibuſque negociis adhibitus jam fuiſſet, aliquando etiam ſolus: quod contigit, Innocentio XII. aeternae memoriae Pontifice Eccleſiae Regimen capeſſente, qui per triduum integrum eo unice Conſiliario uſus eſt. Hanc vero baſim Euangelicae perfectionis, quam in fundamento ſolidae humilitatis Clemens XI. poſuit, ut in Caeleſtis Hieroſolymae muris altius locaretur, Sanctitas quoque Tua ſupra omnem humanae cogitationis modum jecit ex prima die, qua Pontificii oneris molem ſubire Orbis Chriſtianus gaviſus eſt, omnia Tibi fauſta precando, ut felix evaderet, ſibique benevertens adminiſtratio Tui Regiminis Paſtoralis. Accipe ergo, haec inter *Opuſcula Varia*, Nomini Majeſtatique Sanctitatis Tuae devote nuncupata, Lucubrationem etiam illam Franciſci Blanchini Patrui noſtri, Clementis XI. Praeceſſoris Tui juſſionibus humiliter obſequuti; quam cum dignanter legeris, in ea pulcherrimam Tui Summi Pontificatus imaginem recognoſces. Etenim Tuarum virtutum, & ſaluberrimarum Legum magiſterio

ita

ita Eccleſiam Univerſam inſtituis, ut non reddas Te exemplis Doctrinae Tuae diſſimilem; neque feras, ut Leges, quas ſapientiſſime, condidiſti pro Eccleſiaſtica Diſciplina, & pro Reformatione morum Plebis Sanctae Dei, inobſervantiae gliſcentis malo aut evadant omnino inutiles, aut ſaltem certe parum efficaces. Peritiſſimus ipſe Divinarum Scripturarum, Sacrorum Canonum, Patrum, Rituumque, & univerſae Eccleſiaſticae Hiſtoriae, ac Romanarum Antiquitatum (utpote qui aetatem omnem tranſegiſti in hujuſmodi exercitationibus; & inter Fundatores Academiae iis de Studiis apertae in Collegio Propagandae Fidei in minoribus conſtitutus numerabaris), dignatus es earumdem Diſciplinarum contubernium in Tuis quoque Aedibus Pontificiis aperire, fundatis quatuor illuſtribus Academiis; quarum aemulatione, acriores ſtimulos adderes privatis ſtudiis Clericorum; exemplo vero, normam praeberes rerum pertractandatum univerſae Eccleſiaſticae Hierarchiae. Miratur Roma, Te ſingulis hebdomadibus, die Lunae, pomeridianis horis earumdem Academiarum Palatinis Conventibus praeeſſe; licet, ad graviſſima Eccleſiae negotia pertractanda, vix horarum ſatis, diu noctuque vigil,

gil, ac ſemper adeuntibus patens, Tibi datum ſit invenire. Quare omnes, Te natum literis fuiſſe dicunt; & qui Te norunt ante Supremam Dignitatem Romae verſatum ( norunt autem omnium ordinum Viri praecipui, in ea frequentia Licaei, Aulae, Miniſteriorum, in quibus aetatem degiſti), ajunt, Te ad omnium Scientiarum ſtudia ſemper ita praecelluiſſe, ut jam tum quiſque portenderet, Te; ad praeſidium & decus literarum, fuiſſe a Deo Optimo Maximo noſtris temporibus reſervatum. Ac, ne vacuum imitatione nomen, neve titulum patrocinii honorarium tantummodo impraeſentiarum gerere videreris; etiam in Pontificali faſtigio conſtitutus ad ſollicitudinem omnium Eccleſiarum, nova Tuae ſelectae Doctrinae, atque omnigenae eruditionis exempla exprimere contendiſti; edito ( praeter tot Apoſtolicas Conſtitutiones Eccleſiaſtico ſucco plenas ) egregio illo aureoque Opere DE SYNODO DIOECESANA, quo nullum ad hanc diem utilius ac ſapientius in lucem emanavit. Utinam ejus lectione Venerabiles Fratres Tui Epiſcopi Eccleſiarum ita delectentur, ut eodem refici etiam in menſa curent. In eo namque Veteris ac Novae Diſciplinae conſociatam imaginem in-

intuentes, ſatagent de ſe ipſis veram exercere cenſuram ad normam Sacrorum Canonum; & conſiderare interdiu noctuque pergent, quantum ſpatii unicuique emetiendum ſuperſit ad metam virtutum, Epiſcopis ab Eccleſia cum Apoſtolo conſtitutam. Ex eo pariter judicabunt cum Gregorio Magno Moralis Diſciplinae Magiſtri, quanta ſit celſitudo Virtutum, a Chriſti gratia in Epiſcopis ſuperſtruendarum; cum legerint, Benedicte Sanctissime (qui tranſcendis omnium Epiſcoporum faſtigia), Te ubique jacere fundamenta Sanioris Doctrinae, ac vere Solidae Pietatis. Ex frequenti Synodorum coactione, quae ad miras Tuarum Inſtitutionum Regulas impoſterum ſe componentur, aeſtimare oportebit univerſae Eccleſiae progreſſum. Sed haec ad Epiſcopos. Nos, Pater Sancte, ad Te vocat ſub tanti Mecoenatis auſpiciis luculenta illa Patrui Diſſertatio, *de Anno mortis Chriſti*, Diptychis, Catalogis, & Annalibus Eccleſiaſticis conſignato, qui clavus & cardo eſt noſtrae reparatae Salutis, atque Pontificiae Chronologiae. Demonſtrat in ea, Epocham Paſſionis Domini, VIII. Kal. Aprilis duobus Geminis Conſulibus ſub initium tertii Saeculi a S. Hippolyto in Canone Paſchali Romae ſignatam, & a Tertul-

tulliano in Libro adverſus Judaeos aſſertam, deinde ſub exordium quarti a Lactantio ', eodemque Saeculo procedente, ab Auctore inſignis Catalogi Pontificii Liberiani, &, ad finem vergente, a Magno Auguſtino, & a Sulpicio Severo, tum proximis Aetatibus a Proſpero, & a Victorio Aquitanis ſuos in Libros translatam, atque conſtanter per manus Fidelium traditam ( exemplo Romanae Eccleſiae, quotannis ſignantis in Cereis Beatae Mariae eamdem Epocham, ut Venerabilis Beda teſtatur ), anno Aerae Dionyſianae vigeſimo octavo eſſe figendam. Dictorum vero Geminorum Conſulum, apud Sanctos Patres adeo celebrium, par, inſigni marmori inſcalptum, Tuo munere translatum eſt in primum Cubiculum Muſei Capitolini; ut Aerae Pontificiae, ab Anno Paſſionis Dominicae repetendae, monſtraret exordium in illo excelſo Clivo, qui Veteris Romae eſt omnium maxime illuſtris. Nos quoque vocat ad Te, Sanctissime Benedicte, Pauli inſignis Baſilica Via Oſtienſi, quae largitate & beneficentia Sanctitatis Tuae, provida Muſivorum inſtauratione decorata, ac novis etiam digniſque Tuo propenſo ſtudio incrementis aucta, exhibet redivivos aetati noſtrae univer-

verſos Sanctiſſimos Deceſſores Tuos, Divini Spiritus Caeleſti afflatu in ſuprema Petri Cathedra conſtitutos. Eos inter cernitur Series Chronologica Pontificum Romanorum, a S. Petro, uſque ad S. Innocentium ejus nominis Primum; quae palam propoſita aetate S. Leonis Magni, vel Symmachi Papae, in eadem Baſilica Doctoris Gentium, XIII Saeculorum pulvere obſita latitabat, atque ad hanc uſque diem penitus ignoraretur, niſi Franciſcus Blanchinus Patruus noſter ope teleſcopii illam primus omnium adinveniſſet, expreſſam in ſtylobate per totam navis medianae longitudinem producto, una cum ſingulorum Pontificum imaginibus, a Beati Petri prothome numerandis. Singulas inter Imagines, pictas in ſpatiis orbicularibus, quas Romani veteres dixerunt clypeatas, tantumdem ſpatii relictum fuit, ut totidem breves epigraphes (& quidem palmaribus literis) pingerentur in area, exprimentes nomina illorum Pontificum, quibus appoſitae ſunt, una cum numeris Annorum, Menſium, ac Dierum. Quare Sanctitas Vestra, venerandae Antiquitatis ſtudioſiſſima, ut Seriem illam, teſtem locupletem Apoſtolicae in Beati Petri Cathedra Succeſſionis, perennaret;

ret ; opera Pictoris eximii, eamdem Seriem ſumma fide curaque juſſit protinus inſtaurari, atque ad noſtra uſque tempora continenter produci; ne tam inſignia decora Pontificiae Chronologiae, derivatae a temporibus Leonis Magni, alium a Succeſſore Patronum nanciſcerentur. Nos demum, Beatissime Pater, vocat ad Te ingentis molis Eccleſia, Deiparae Virginis, & Sanctorum Angelorum Titulo Deo dicata ad Thermas Diocletianeas, in qua cernitur ille Gnomon Aſtronomicus Clementinus, ad uſum Paſchalis Feſti, & Kalendarii Gregoriani conſtructus; ut aptarentur Saecula Verbo Dei. Pro tuenda Linea Meridiana Horizontali Blanchini Patrui noſtri, ſplendide marmoribus ſtrata, & pluribus ornamentis aucta (quoniam, poſt novam Eccleſiae inſtaurationem, pavimentum diffractum fuerat in evehendis lateribus, ac ſaxis Tiburtinis), provide in mandatis dediſti Sapientiſſimis Matheſeos Profeſſoribus Patribus Maire, & Boſchovich Societatis Jeſu, ut periculum facerent, an ex pavimenti ſciſſuris eadem Linea aliquid detrimenti coepiſſet. Itaque, ſolo iterum complanato, experimento compertum eſt, foramen in obverſa parte Aedificii conſpicuum, editoque

in

in loco apertum, per quod Solares radii in æream laminam incidentes producuntur ad pavimentum, tangentibus lineis arcum diſtantiae a vertice utriuſque Solaris Limbi deſignantibus, tranſmittere Solis radium ( qua parte Zonam oſtendit Aſtro ſubjectam), ut antea tranſmittebat, cum primum ſcilicet idem Gnomon a Patruo noſtro amantiſſimo conditus eſt. Compertum eſt etiam, nullibi, Te curante, luſſatam fuiſſe eam Gnomonis partem, in qua Blanchinus Praeſul explorare docuit ſtellarum appulſum ad circulum Meridianum, & Poli elevationem metiri, ea methodo, quam exprimit Eclipſium ſeries, deſcripta circa illam Meridianae partem, in quam ( ope teleſcopii ad eam rem comparati ) producitur radius ſtellae Polaris. Hoc Opus, PONTIFEX SAPIENTISSIME, tantum Tibi curae fuit; ut ita Blanchini non minus, quam Bononiae Patriae Tuae, nomini dignitatique provideres. Noſti enim, rationem ſtruendae Lineae Meridianae, atque exigendae ad incredibilem & omnibus retro Saeculis vel ignotam vel certe intentatam ſubtilitatem & certitudinem veſtigationis motuum Caeleſtium, primum nos docuiſſe libros Bononiae impreſſos annis 1655, & 1695;

& 1695 ; in quorum poſtremo ad rem noſtram Auctor illud etiam obſervavit, ſapienter & congrue ſtatui in Sacris Aedibus hujuſmodi indicia Temporum, ſeu Gnomones. Tot igitur beneficiis in Patruum a Te collatis, nos, quaſi quadam ſponſione freti, in ſpem erigimur, offerendi per manus aliorum noſtrorum fratrum Laurentii, & Caroli, etiam conſequentia Volumina horum Opuſculorum; quibus Blanchina Gens publica vota inſtaurabit more ſolemni, nuncupans in annos plurimos; ut ex Tui Regiminis adminiſtratione ſanctiſſima univerſi Chriſtiani Orbis felicitas exoriatur.

T Y-

Digitized by Google

# TYPOGRAPHI
## *AD*
# ERUDITUM LECTOREM.

*FUit ſemper in votis habitum, ut quae olim a Doctis Viris ſummo labore, magniſque vigiliis ſunt elucubrata, ea demum in lucem edantur. Sed caſu neſcio quo ſaepe accidit, ut ex iis Operibus, quae nonnulli homines etiam Sapientiſſimi poſt mortem reliquerunt, non ſolum multa prorſus interierint, ſed & ea, quae in hanc uſque diem ſervata ſunt, ita ſaepe recondantur in pluteis Archivorum, ut nunquam publici juris fiant. Quae macula ne ſuae Gentis Nepotibus inferretur, Comites Blanchini Fratres hanc* Opuſculorum Variorum *Collectionem ſumma cura induſtriaque ſunt aggreſſi; ut eadem Franciſci Blanchini Patrui memoriam pro ſuis viribus ſerae Poſteritati commendarent. Id praeterea cur ipſi fecerint, hoc habuerunt cauſae; quod cum laudatus Illm̃us Praeſul luculentam illam Diſſertationem* de Anno Mortis Chriſti, *quam Typis Anaſtaſianis promiſerat evulgare, morte praeventus luci tradere non potuerit, hoc eos nomine Eruditorum Reſpublica veluti quodam jure compellabat, quaſi ad Nepotes debeat, non rerum tantum, ſed voluntatis etiam haereditas pervenire. Quae quidem vota multum moverunt etiam Doctiſſimum atque Pientiſſimum Virum Joannem Franciſcum Muſellium Archipresbyterum Ampliſſimi Capituli Veronenſis, cui univerſa Blanchini Praeſulis Bibliotheca ex Teſtamento relicta eſt. Quare Eruditorum deſideria, & tanti Viri auctoritas*

*ad hoc Poſteritatis adjuvandae ſtudium vehementer impulcrunt P. Joſephum Blanchinum Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii de Urbe Presbyterum, & Commendatores Gaſparem & Franciſcum Fratres ejus, ut collatis conſiliis in hanc incumberent Editionem. Quod ſi noſtrorum Typorum diligentia perfici quidquam poteſt, magnopere ſperamus fore, ut nos non poeniteat de curata hac Blanchinianorum Anecdotorum Collectione. Nitoris ejus ſpecimen primum erunt haec duo Volumina* Opuſculorum Variorum, *quae ex Autographis exemplaribus deſcripta, in manus hominum nunc ferentur, ſub* Benedicti XIV *Pontificis Optimi Nomine ac Patrocinio. Ac ſi Tu, Erudite Lector, is eris, qui te in eis maxime remuneratum exiſtimes; confidimus fore, Blanchinorum Fratrum humanitate, ut quantocius & reliqua omnia nos in lucem emittamus, praeſertim vero Epiſtolarum ultro citroque miſſarum commercium omnigenae eruditionis; Itinera Italica, Gallica, Anglica, aliarumque Regionum; ceteras denique Lucubrationes quae magni momenti ſunt, ac pertinent ad Reparationem Temporum, atque ad Kalendarium Gregorianum. Hoc in officio praeſtando nullum Tibi, Erudite Lector, de noſtra diligentia, curaque dubitandi locum relinquemus; ut tanti Viri monimenta (quae nobis omnia videntur maxima), conſecuturis Voluminibus comprehendenda, in lucem edamus. In his, quae in praeſentiarum vulgantur, cum variae res, vel antea parum exploratae, vel praejudicatis hominum opinionibus perperam intellectae, in conſultationem veniunt, tum etiam gravis illa & perdifficilis quaeſtio de Anno Chriſti emortuali ſumma cum eruditione a Praeſule Sapientiſſimo pertractatur. Argumentum agitur quoque graviſſimum de officiis Pontificis Summi, in quo Auctor Sacras Literas, SS. Patres, Concilia, & Acta Pontificum Romanorum triduano labore conſuluit, ut juſſis obtempera-*

*peraret Paſtoris Optimi Clementis XI, toto animo menteque in Grege ſibi concredito inſtruendo defixi, qui non eſt dedignatus adhibere in conſilium ſollicitudinis Paſtoralis Blanchinum tunc Diaconum Eccleſiae S. Laurentii in Damaſo, quoniam ipſius virtutem pietatemque maxime perſpectam habebat. Rogatus ergo, ut ea ſcriberet, quae ad Apoſtolicae Sedis Dignitatem, ideſt ad Chriſti gloriam, & ſalutem animarum pertinere ipſe duceret, ſententiam dixit graviſſimis ſententiis ſummaque prudentia refertam, ut nihil in ea deſiderari poſſe videatur. Lecta fuit perattento animo, & clementiſſime excepta ejus conſultatio, quam & Pontificiae dignationis aſſenſio eſt conſequuta. Quare Blanchinis Fratribus de tanto Patruo hoc amplius placuit, ut illud Reſponſum ad Clementem XI. typis impreſſum evulgaretur. Quamvis autem memorato P. Joſepho Blanchino Congregationis Oratorii Presbytero graviſſimorum Operum impoſita moles ſit, quam ſummo labore ſuſtinet, tamen in ipſis illis occupationibus etiam reliquorum Anecdotorum Patrui ſui delectui ita ſategit incumbere, ut quae ipſe digna luce judicavit, & ab Eruditis cum voluptate legenda, ea ordinaverit, ut publica luce donentur. Ex quo illud conſequetur, ut ipſe non modo Illuſtriſsimi Muſellii, atque univerſi Ampliſsimi Capituli Veronenſis voluntati ſerviat. quod eſt ſumma laude digniſsimum; ſed etiam ut conſulat Anecdotorum Patrui perennitati. Blanchini Praeſulis Opera omnia, magna ſunt & nomine & gloria. Nam quis eſt in Literaria Republica tam hoſpes & peregrinus, cui notiſsima fama tanti Viri non ſit. Ingenium, doctrinam, & omnigenam eruditionem in Scriptis ejus intuentur omnes, qui eorumdem lectione delectantur. Quare non eſt credibile, quantum ad hanc noſtram curandae iſtius Editionis voluntatem addiderit tot in hac Urbe hominum praeſtantiſsimorum praedicatio, quorum multi*



Digitized by Google

*& egregii de tanti Auctoris laudibus ſermones nos jam antea commotos, magis impulerunt, ut eamdem Editionem ornaremus. Hanc ſi tu, Erudite Lector, gratanter excipies, reliqua omnia Nepotes Blanchini Praeſulis tecum perhumaniter communicabunt: in quibus colligendis & ordinandis quantum ſtudii idem P. Joſeph Blanchinus poſuerit, ipſe ſibi teſtis eſt; quantum vero nos nitoris in editione poſituri ſimus, tu, & alii ex his duobus Voluminibus judicabunt. Interim tibi, Lector, ſi conſequamur ut noſtra diligentia probetur, ſane hanc Editionem non exiguo compenſatam eſſe fructu exiſtimabimus. Benemereri de literatis Viris, etſi typorum utilitas praeterea conſequatur nulla, tamen nos praeclarum in primis, atque egregium eſſe ſemper duximus: quoniam vel ſolum hunc fructum, in Poſteritatis memoria, & prædicatione poſitum, nemo unquam Sapiens non praeſtantiſsimum judicabit. Benemerendi ratio Typographis ingenuis haec duplex videtur eſſe praecipua, ut & Operibus eorum, qui ſcripſerunt, ne illa intereant, ſuam operam navent, & Literatis Viris opem ferant, ut erudiantur miniſterio Typographiae: atque hae duae res ejuſmodi ſunt, ut qui alterutram commode faciat, ei a Studioſis omnibus gratiae ſint agendae; qui utramque, ne haberi quidem ſatis poſsint. Ut igitur nos hanc duplicem laudem conſequamur, dabimus operam (ſi ita videbitur Blanchinis Fratribus), ut per nos edantur in lucem & reliqua Anecdota Blanchini Praeſulis, Chronologi, Hiſtorici, Philoſophi, & Antiquarii ſemper magna cum laude celebrandi, & cujus memoria erit in benedictione apud ſeram Poſteritatem. Vale.*

APPRO-

# APPROBATIONES.

REverendiſſimi P. Magiſtri S. Palatii juſſu legi Illuſtriſſimi Franciſci Blanchini Opuſcula Varia, nunc primum in lucem edita ex ejus Manuſcriptis libris autographis &c.; *in quibus eadem, quae in ceteris tanti Viri Operibus, elucet doctrinae praeſtantia; qua maximam apud omnes Gentes celeberrimus Auctor ſibi, & Italico nomini peperit gloriam: cumque in iis Opuſculis nihil repererim, quod vel Orthodoxae Fidei, vel bonis moribus adverſetur; dignum propterea ejuſmodi Librum cenſeo, qui typis edatur.*

*Datum Romae Eidib. Octobr.* CIƆ IƆ CC LIII.

Michael Angelus Giacomelli SSmi Dñi Noſtri Cappellanus Secretus.

---

L*Ibrum, cui Titulus*, Franciſci Blanchini Veronenſis Praelati Domeſtici & Patricii Romani Opuſcula Varia, nunc primum in lucem edita ex ejus Manuſcriptis libris autographis &c. *juſſu Rmi P. Joſephi Auguſtini Orſi Sac. Pal. Ap. Magiſtri perlegi, nec quicquam Fidei Catholicae Decretis, aut regulis morum contrarium inveni. Quin etiam magna cum animi jucunditate Clariſs. VV. Giſberti Cuperi, & Antonii Mariae Salvini literis confirmari videns Doctiſſimi Auctoris eruditionem ſummam, ac peregrinam; nil profectum a tanti Viri ingenio exiſtimo, quod Eruditis omnibus minus gratum, minuſque utile ſit futurum. Diſſertationem vero de Anno Paſſionis Chriſti, maximam nempe partem hujus Libri, non modico Eccleſiaſticae Hiſtoriae bono, atque incremento futuram intelligo. Quamobrem publica luce donandum cenſeo.*

*Romae Kal. Octobr.* 1753.

Cajetanus Cennius.

*Illu-*

I*Lluſtriſſimi ac Doctiſſimi Praeſulis* Franciſci Blanchini Opuſcula Varia *legi. In his praeſtantiſſimi ingenii veluti reliquiis, nihil inveni, quod cum Fidei dogmatibus, & morum regulis non conſonet; plura vero reperi, quibus variae Phyſico-mathematicae quaeſtiones, diverſa Antiquitatis monumenta, & Chronologica Problemata egregie illuſtrantur. Ea igitur digna cenſeo, quae in uſum communem Eruditorum Typis edantur. In quorum fidem &c.*

*Romae in Conventu SSmae Trinitatis, die 28. Octobris 1753.*

Fr. Thomas Le Seur Theologiae
ac Matheſeos Profeſſor.

---

J*Ubente Reverendiſſimo Patre Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro ſumma cum animi mei oblectatione perlegi Librum, cui Titulus*, Franciſci Blanchini &c. Opuſcula Varia nunc primum in lucem edita ex ejus Manuſcriptis Libris autographis &c. *& in eo nil reperi, quod Catholicae veritati, Principum inſtitutis, boniſque moribus officiat: imo omnia, quae ibi pertractantur, non ſolum omnigena doctrina, & recondita eruditione ſunt referta, verum etiam perpolita oratione ſcripta. Quapropter digniſſimum cenſeo, ut ad Literariae Italicae Reipublicae decus, & ad majorem Cl. Auctoris gloriam in lucem prodeat.*

*Romae ex Bibliotheca Gabrielliana V. Kalendas Octobris* CIϽ IϽ CCLIII.

Horatius Orlandius.

IM.

*IMPRIMATUR,*

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

*F. M. de Rubeis Patr. Conſtant. Viceſg.*

---

*IMPRIMATUR,*

Fr. Vincentius Elena Magiſter Socius Rev. Pat. Sac. Pal. Ap. Mag. Ord. Praed.

*ER-*

Digitized by Google

| *ERRATA.* | *CORRIGE.* |
|---|---|
| PAgina 5. Linea 27. ſnperincumbentis : | ſuperincumbentis. |
| Pag. 15. l. 3. Cives : | Civis. |
| Pag. 19. l. 15. reſpondet : | reſpondet. |
| Pag. 23. l. 4. enimquiſpue : | enimquiſque. |
| Pag. 31. l. 9. ſcucedat : | ſuccedat. |
| l. 27. fuerit : | fuerint. |
| Pag. 32. l. 6. affuſione : | affuſione. |
| Pag. 34. l. 17. flumine : | lumine. |
| Pag. 39. l. 11. eſſequitur : | aſſequitur. |
| Pag. 41. l. 22. nam. : | num. |
| Pag. 42. l. 18. perſimides : | perſimiles. |
| Pag. 48. l. 6. In qua Nucerina : | In aqua Nucerina. |
| Pag. 63. l. 4. Illuſtriſſime : | Illuſtriſſime. |
| Pag. 72. l. 4. ομοιότητο : | ὁμοιότητα. |
| Pag. 89. l. 2. λιτιῶν : | λιτῶν. |
| l. 3. ἔχων : | ἔχων. |
| Pag. 105. l. 13. efigendos : | eſigendos. |
| Pag. 109. l. 11. neceſſum : | neceſſum. |
| Pag. 112. l. 20. verſatatus : | verſatus. |
| Pag. 135. l. 4. Quod hunc | Quod cum. |
| Pag. 149. l. 12. trecenteſimus : | trecenteſimus. |
| Pag. 151. l. 8. munumentis : | monumentis. |
| Pag. 165. in Notis: Vet. Inſcript. pag. 443. | reliqua dele. |
| Pag. 171. l. 20. Aniano : | Arriano. |
| Pag. 197. l. 1. verſ. ) eodem : | verſ. 24. ) eodem. |
| Pag. 198. l. 5. obſignatos : | obſignatos. |
| Pag. 206. l. 20. praeſtuendo : | praeſtruendo. |
| Pag. 215. l. 10. Coſulibus : | Conſulibus. |
| Pag. 223. l. 20. Coſulibus : | Conſules. |
| Pag. 234. l. 23. cundendae : | cudendae. |
| Pag. 253. l. 12. anochroniſmis : | anachroniſmis. |
| Pag. 266. l. 12. haeic : | heic. |
| Pag. 273. l. 11. Ferabatur : | Ferebatur. |

*IL-*

Digitized by Google



*ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO*

# JO: MARIAE LANCISIO

## SS. D. N. ARCHIATRO

FRANCISCUS BLANCHINUS

S. P. D.

PAucos ante dies, cum Excellentiſſimus Hieroſolymitanae Religionis Orator Marcellus Eques Sacchettus officii & negotiorum cauſa Gandulphum ſe contuliſſet, & à nonnullis accepiſſet, Albani Laci profunditatem, demiſſa bolide exploratam, & alicubi repertam fuiſſe non modo ſeptingentis, ve-



Digitized by Google

rum & octingentis palmis aequalem; eruditae quaeſtionis anſam inde cepit, inquirens, num ejuſmodi fundus habendus eſſet humilior, ſeu centro Terrae proximior, quam extima ſuperficies Tyrrheni maris? Augurabantur enim aliqui, ſi res ita cederet, ſuſpicari nos quidquam poſſe de ſubterraneis meatibus, per quos utraque aqua commiſceatur: idque multo facilius, quam antiqui Auctores a Strabone (1) jure oppugnati, qui Alpheum amnem in Olympia fluentem cum Arethuſa Siciliae fonte miſceri affirmabant, ut apud Syracuſas in mare provolveretur. Quin etiam dubitaturos ſeſe aſſerebant, num perennis aquarum copia, qua lacus abundat, eſſet ſolummodo tribuenda pluviis e monte decidentibus, & percolatis per venas Terrae; an marinis quoque fluctibus pars aliqua ejuſdem copiae deberetur, qui per caecos meatus admiſſi, & ſale ſpoliati, ac leviores effecti, juxta hydroſtaticae leges ad libram laci non multo ſuperiorem attollerentur. Hanc vero litem diremptam iri concedebant, si geometrica demonſtratione conſtaret, humorem laci ſupra marinam ſuperficiem in altitudine tanta conſiſtere, ut gravitatis, & elevationis permutata proportio non ſervaretur.

Sta-

(1) Strabo lib. 6. pag. 170.

Digitized by Google

Statuenda igitur fuit certis rationibus libra horizontalis circuli terrae circumfuſi per ſupremam laci ſuperficiem, eaque comparanda cum horizontali circulo per maris ſuperficiem ducto: ut collatis ejuſmodi libramentis conſtaret, num utriuſque diſtantia octingentorum eſſet palmorum, an multo major habenda. Duplex autem methodus ejus differentiae obſervandae ſeſe offerebat, hydroſtatica una per tubum Torricellianum, in quo diverſae incluſi Mercurii altitudines incumbentis aeris pondus, ac molem, atque adeo libram horizontis diverſam indicat in duplici ſtatione; altera vero geometrica, & evidentior, qua per ſolutionem triangulorum diſtantiae, & altitudines comparantur.

Utramque methodum placuit adhibere. Per Geometricam electis duabus in Urbe ſtationibus, intercapedo primum exquirebatur paſſuum interceptorum a tholo abſidis S. Petri in Vaticano ad ſummum faſtigium fornicis Thermarum Diocletiani: tum in utraque ſtatione perceptis angulis, quos lineae utrimque directae ad Caſtrum Gandulphi, & ad Montis Albani apicem conſtituunt, eorundem locorum ab Urbe diſtantia colligebatur. Ex angulo demum elevationis Caſtri, & Montis ſupra horizontale planum tecti Thermarum defini-

ta eſt altitudo perpendiculi Gandulphi, & Montis Cavi ſupra circulum eo radio ductum, qui a centro Terrae ad tectum Thermarum pertingat: ut collatis differentiis conſtaret, quotis palmis infra hunc circulum ſubſideret, vel ſupra eundem attolleretur fundus Albani laci: atque ita comparari cum mari poſſet per Tiberini fluminis aquas, eo confluentes ex alveo quo Romae excipitur.

Solutione triangulorum geometrice inſtituta, conſtat ſupra tectum Thermarum Diocletiani in Urbe elevari Montis Albani verticem, ſeu Montem Cavum paſſibus 552. ſeu ped. 2760
Caſtri vero Gandulphi elevationem ſupra tect. Therm. 224. ſeu ped. 1120

Eſt autem ſuperficies laci Albanenſis humilior Caſtro, 123. ſeu ped. 615
atque adeo eadem ſuperficies Thermarum altitudinem ſuperat ———————— 101. ſeu ped. 505
Fundus vero laci cum ſit repertus depreſſior per bolidis experimentum extima ſuperficie laci palmis ———— 800. ſeu ped. 612
oſtenditur inferior Thermarum tecto pedibus Romanis———————107
quota ferme diſtantia eſt tecti ſummi Thermarum a pavimento.

Affir-

Digitized by Google

*& egregii de tanti Auctoris laudibus ſermones nos jam antea commotos,magis impulerunt,ut eamdem Editionem ornaremus. Hanc ſi tu, Erudite Lector, gratanter excipies,reliqua omnia Nepotes Blanchini Praeſulis tecum perhumaniter communicabunt: in quibus colligendis & ordinandis quantum ſtudii idem P. Joſeph Blanchinus poſuerit,ipſe ſibi teſtis eſt;quantum vero nos nitoris in editione poſituri ſimus,tu,& alii ex his duobus Voluminibus judicabunt. Interim tibi,Lector,ſi conſequamur ut noſtra diligentia probetur, ſane hanc Editionem non exiguo compenſatam eſſe fructu exiſtimabimus. Benemereri de literatis Viris,etſi typorum utilitas praeterea conſequatur nulla, tamen nos praeclarum in primis, atque egregium eſſe ſemper duximus:quoniam vel ſolum hunc fructum,in Poſteritatis memoria,& prædicatione poſitum,nemo unquam Sapiens non praeſtantiſsimum judicabit.Benemerendi ratio Typographis ingenuis haec duplex videtur eſſe praecipua,ut & Operibus eorum,qui ſcripſerunt,ne illa intereant,ſuam operam navent,& Literatis Viris opem ferant, ut erudiantur miniſterio Typographiae:atque hae duae res ejuſmodi ſunt,ut qui alterutram commode faciat,ei a Studioſis omnibus gratiae ſint agendae;qui utramque,ne haberi quidem ſatis poſsint. Ut igitur nos hanc duplicem laudem conſequamur, dabimus operam (ſi ita videbitur Blanchinis Fratribus), ut per nos edantur in lucem & reliqua Anecdota Blanchini Praeſulis, Chronologi, Hiſtorici, Philoſophi, & Antiquarii ſemper magna cum laude celebrandi, & cujus memoria erit in benedictione apud ſeram Poſteritatem. Vale.*

APPRO-

Digitized by Google

# APPROBATIONES.

R*Everendiſſimi P. Magiſtri S. Palatii juſſu legi Il-luſtriſſimi* Franciſci Blanchini Opuſcula Varia, nunc primum in lucem edita ex ejus Manuſcriptis libris autographis &c.; *in quibus eadem, quae in ceteris tanti Viri Operibus, elucet doctrinae praeſtantia; qua maximam apud omnes Gentes celeberrimus Auctor ſibi, & Italico nomini peperit gloriam: cumque in iis Opuſculis nihil repererim, quod vel Orthodoxae Fidei, vel bonis moribus adverſetur; dignum propterea ejuſmodi Librum cenſeo, qui typis edatur.*

*Datum Romae Eidib. Octobr.* CIↃ IↃ CC LIII.

Michael Angelus Giacomelli SSmi Dni Noſtri Cappellanus Secretus.

---

L*ibrum, cui Titulus,* Franciſci Blanchini Veronenſis Praelati Domeſtici & Patricii Romani Opuſcula Varia, nunc primum in lucem edita ex ejus Manuſcriptis libris autographis &c. *juſſu Rmi P. Joſephi Auguſtini Orſi Sac. Pal. Ap. Magiſtri perlegi, nec quicquam Fidei Catholicae Decretis, aut regulis morum contrarium inveni. Quin etiam magna cum animi jucunditate Clariſs. VV. Gisberti Cuperi, & Antonii Mariae Salvini literis confirmari videns Doctiſſimi Auctoris eruditionem ſummam, ac peregrinam; nil profectum a tanti Viri ingenio exiſtimo, quod Eruditis omnibus minus gratum, minuſque utile ſit futurum. Diſſertationem vero de Anno Paſſionis Chriſti, maximam nempe partem hujus Libri, non modico Eccleſiaſticae Hiſtoriae bono, atque incremento futuram intelligo. Quamobrem publica luce donandum cenſeo.*

*Romae Kal. Octobr.* 1753.

Cajetanus Cennius.

*Illu-*

I *Lluſtriſſimi ac Doctiſſimi Praeſulis* Franciſci Blanchini Opuſcula Varia *legi. In his praeſtantiſſimi ingenii veluti reliquiis, nihil inveni, quod cum Fidei dogmatibus, & morum regulis non conſonet; plura vero reperi, quibus variae Phyſico-mathematicae quaeſtiones, diverſa Antiquitatis monumenta, & Chronologica Problemata egregie illuſtrantur. Ea igitur digna cenſeo, quae in uſum communem Eruditorum Typis edantur. In quorum fidem &c.*

*Romae in Conventu SSmae Trinitatis, die* 28. *Octobris* 1753.

Fr. Thomas Le Seur Theologiae
ac Matheſeos Profeſſor.

---

J *Ubente Reverendiſſimo Patre Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro ſumma cum animi mei oblectatione perlegi Librum, cui Titulus,* Franciſci Blanchini &c. Opuſcula Varia nunc primum in lucem edita ex ejus Manuſcriptis Libris autographis &c. *& in eo nil reperi, quod Catholicae veritati, Principum inſtitutis, boniſque moribus officiat: imo omnia, quae ibi pertractantur, non ſolum omnigena doctrina, & recondita eruditione ſunt referta, verum etiam perpolita oratione ſcripta. Quapropter digniſſimum cenſeo, ut ad Literariae Italicae Reipublicae decus, & ad majorem Cl. Auctoris gloriam in lucem prodeat.*

*Romae ex Bibliotheca Gabrielliana V. Kalendas Octobris* CIↃ IↃ CCLIII.

Horatius Orlandius.

IM-

*IMPRIMATUR,*

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

*F. M. de Rubeis Patr. Conſtant. Viceſg.*

---

*IMPRIMATUR,*

Fr. Vincentius Elena Magiſter Socius Rev. Pat. Sac. Pal. Ap. Mag. Ord. Praed.

*ER-*

Digitized by Google

| ERRATA. | CORRIGE. |
|---|---|
| PAgina 5. Linea 27. ſnperincumbentis : | ſuperincumbentis. |
| Pag. 15. l. 3. Cives : | Civis. |
| Pag. 19. l. 15. teſponder : | reſpondet. |
| Pag. 23. l. 4. enimquiſpue : | enimquiſque. |
| Pag. 31. l. 9. ſcucedat : | ſuccedat. |
| l. 27. fuerit : | fuerint. |
| Pag. 32. l. 6. affuſione : | affuſione. |
| Pag. 34. l. 17. flumine : | lumine. |
| Pag. 39. l. 11. eſſequitur : | aſſequitur. |
| Pag. 41. l. 22. nam. : | num. |
| Pag. 42. l. 18. perſimides : | perſimiles. |
| Pag. 48. l. 6. In qua Nucerina : | In aqua Nucerina. |
| Pag. 63. l. 4. Illuſtriffime : | Illuſtriſſime. |
| Pag. 72. l. 4. ομοιότητο : | ὁμοιότητα. |
| Pag. 89. l. 2. λιπὼν : | λιπὼν. |
| l. 3. ἔχων : | ἔχων. |
| Pag. 105. l. 13. eſigendos : | eſigendos. |
| Pag. 109. l. 11. neceſſum : | neceſſum. |
| Pag. 112. l. 20. verſaratus : | verſatus. |
| Pag. 135. l. 4. Quod hunc | Quod cum. |
| Pag. 149. l. 12. trecenteſimus : | trecenteſimus. |
| Pag. 151. l. 8. munumentis : | monumentis. |
| Pag. 165. in Notis:Ver.Inſcript.pag.443. | reliqua dele. |
| Pag. 171. l. 20. Ariano : | Arriano. |
| Pag. 197. l. 1. verſ.) eodem : | verſ. 24.) eodem. |
| Pag. 198. l. 5. obſignatos : | obſignatos. |
| Pag. 206. l. 20. praeſtuendo : | praeſtruendo. |
| Pag. 215. l. 10. Coſulibus: | Conſulibus. |
| Pag. 223. l. 20. Coſulibus : | Conſules. |
| Pag. 234. l. 23. cundendae : | cudendae. |
| Pag. 253. l. 12. anochroniſmis : | anachroniſmis. |
| Pag. 266. l. 12. haeic : | heic. |
| Pag. 273. l. 11. Ferabarur : | Ferebarur. |

IL-



*ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO*

# JO: MARIAE LANCISIO

## SS. D. N. ARCHIATRO

FRANCISCUS BLANCHINUS

S. P. D.

PAucos ante dies, cum Excellentiſſimus Hieroſolymitanae Religionis Orator Marcellus Eques Sacchettus officii & negotiorum cauſa Gandulphum ſe contuliſſet, & à nonnullis accepiſſet, Albani Laci profunditatem, demiſſa bolide exploratam, & alicubi repertam fuiſſe non modo ſeptingentis, ve-



Digitized by Google

rum & octingentis palmis aequalem; eruditae quaeſtionis anſam inde cepit, inquirens, num ejuſmodi fundus habendus eſſet humilior, ſeu centro Terrae proximior, quam extima ſuperficies Tyrrheni maris? Augurabantur enim aliqui, ſi res ita cederet, ſuſpicari nos quidquam poſſe de ſubterraneis meatibus, per quos utraque aqua commiſceatur: idque multo facilius, quam antiqui Auctores a Strabone (1) jure oppugnati, qui Alpheum amnem in Olympia fluentem cum Arethuſa Siciliae fonte miſceri affirmabant, ut apud Syracuſas in mare provolveretur. Quin etiam dubitaturos ſeſe aſſerebant, num perennis aquarum copia, qua lacus abundat, eſſet ſolummodo tribuenda pluviis e monte decidentibus, & percolatis per venas Terrae; an marinis quoque fluctibus pars aliqua ejuſdem copiae deberetur, qui per caecos meatus admiſſi, & ſale ſpoliati, ac leviores effecti, juxta hydroſtaticae leges ad libram laci non multo ſuperiorem attollerentur. Hanc vero litem diremptam iri concedebant, si geometrica demonſtratione conſtaret, humorem laci ſupra marinam ſuperficiem in altitudine tanta conſiſtere, ut gravitatis, & elevationis permutata proportio non ſervaretur.

Sta-

(1) Strabo lib. 6. pag. 170.

Statuenda igitur fuit certis rationibus libra horizontalis circuli terrae circumfuſi per ſupremam laci ſuperficiem, eaque comparanda cum horizontali circulo per maris ſuperficiem ducto: ut collatis ejuſmodi libramentis conſtaret, num utriuſque diſtantia octingentorum eſſet palmorum, an multo major habenda. Duplex autem methodus ejus differentiae obſervandae ſeſe offerebat, hydroſtatica una per tubum Torricellianum, in quo diverſae incluſi Mercurii altitudines incumbentis aeris pondus, ac molem, atque adeo libram horizontis diverſam indicat in duplici ſtatione; altera vero geometrica, & evidentior, qua per ſolutionem triangulorum diſtantiae, & altitudines comparantur.

Utramque methodum placuit adhibere. Per Geometricam electis duabus in Urbe ſtationibus, intercapedo primum exquirebatur paſſuum interceptorum a tholo abſidis S. Petri in Vaticano ad ſummum faſtigium fornicis Thermarum Diocletiani: tum in utraque ſtatione perceptis angulis, quos lineae utrimque directae ad Caſtrum Gandulphi, & ad Montis Albani apicem conſtituunt, eorundem locorum ab Urbe diſtantia colligebatur. Ex angulo demum elevationis Caſtri, & Montis ſupra horizontale planum tecti Thermarum defini-



Digitized by Google

ta eſt altitudo perpendiculi Gandulphi, & Montis Cavi ſupra circulum eo radio ductum, qui a centro Terrae ad tectum Thermarum pertingat: ut collatis differentiis conſtaret, quotis palmis infra hunc circulum ſubſideret, vel ſupra eundem attolleretur fundus Albani laci: atque ita comparari cum mari poſſet per Tiberini fluminis aquas, eo confluentes ex alveo quo Romae excipitur.

Solutione triangulorum geometrice inſtituta, conſtat ſupra tectum Thermarum Diocletiani in Urbe elevari Montis Albani verticem, ſeu Montem Cavum paſſibus 552. ſeu ped.2760

Caſtri vero Gandulphi elevationem ſupra tect. Therm. 224. ſeu ped.1120

Eſt autem ſuperficies laci Albanenſis humilior Caſtro,123. ſeu ped. 615

atque adeo eadem ſuperficies Thermarum altitudinem ſuperat ———————— 101. ſeu ped. 505

Fundus vero laci cum ſit repertus depreſſior per bolidis experimentum extima ſuperficie laci palmis ———— 800. ſeu ped. 612

oſtenditur inferior Thermarum tecto pedibus Romanis———————107

quota ferme diſtantia eſt tecti ſummi Thermarum a pavimento.


Affir-

Digitized by Google


Digitized by Google

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| :o<br>rii. | Differentiae Elevationis Mercurii in Tubo Torricelliano obſervatae in unciis ped. Rom. earumque decimis partibus. | | | | |
| | 1. 5 | 18 | | 1640 | |
| | 0. 3 | | | | |
| | 0. 6 | 12 | 13 $\frac{1}{2}$ | 1370 | |
| | 0. 6 | | | | |
| $\frac{1}{2}$ | 1 $\frac{1}{2}$ | | | | |

FIGVRA I.




FIGVRA II. pag. 20



Affirmare igitur poſſumus, laci fundum, ubi eſt humillimus, in eodem plano horizontali conſiſtere cum pavimento Eccleſiae S. Mariae Angelorum in Thermis Diocletiani: circulos autem concentricos per communune centrum gravium ductos in plano pavimenti ejuſdem, Caſtri Gandulphi, & Montis Cavi diſtare inter ſe quemadmodum indicat Tabella & Figura *

Haec eadem Tabula ſatis exponit alteram methodum hydroſtatices adhibitam in exploranda elevatione planorum diverſa per athmoſphaerae incumbentis preſſionem variam in circulis E. D. C. B. A. quae in tubo Torricelliano in uncias Romanas, earumque decimas partes diviſo haſce oſtendit menſuras.

Poſſet hinc facile deprehendi totius athmoſphaerae altitudo. Nam ſi aer ubique foret eadem compreſſione conſtipatus, differentia altitudinum Thermarum, & Montis Cavi decies ſumpta aequaret altitudinem totius athmoſphaerae; cum differentia elevationis Mercurii, quae ponderis diſcrimen indicat, ſit pars decima totius ſummae. Verum quia eximius Montanarius Torricellii doctrinam ſequutus, eamque experimento confirmans oſtendit, ita attenuari molem aeris quo plus a terra recedit, & a ſuperincumbentis pondere minus gravatur, ut diviſa in 95. ſectiones altitudine, prima

ma ſectio debeat eſſe denſior parte ſui $\frac{1}{91}$ quam ſit ſecunda, quae $\frac{1}{94}$ eſt denſior quam tertia, haec vero $\frac{1}{91}$ compreſſior prae quarta, & ita progrediendo per ceteras, donec poſtrema duplo ſit rarior quam proxima ipſi ſuppoſita; idcirco evincitur, elevationem totius athmoſphaerae pertingere ad milliaria Romanae menſurae 219 $\frac{1}{5}$ ſive rotundo numero 220.

Gratulabantur itaque comites Excellentiſſimo Equiti Albano, quod in excurſu hoc breviſſimo non unicum paraſſet compendium doctrinae. Siquidem etiam in phyſica eruditione, non modo Excellentiſſimi Oratoris quaeſtionem ſolvi curaverat de libra marini litoris comparata cum laci fundo, verum & aeris univerſae molem terrae incumbentem ad palmorum menſuram redegerat. Quocirca transferri poſſe affirmabant illud Martialis de Urbana ſua Villa dictum, quam poſſidebat in collibus Vaticanis.

*Hinc totam licet aeſtimare Romam,*

Ad vertices collium Gandulphi, & Montis Albani, ita inflectendo:

*Hinc ſubjectum totum licet aeſtimare pontum;*
*Hinc ſubjectas totas licet aeſtimare terras:*
*Metiri hinc licet aeriſque pondus,*
*Metiri hinc licet aeriſque molem.*

Da-

Dabis hanc veniam Illuſtriſſime Praeſul, ut male compactam epiſtolam, nihilo melior Philoſophus, quam Poeta, Tui attamen obſequentisſimus, optima adprecatione concludam. Vale.

Deus Optimus Maximus Sanctiſſimum Principem bono Chriſtianae Reipublicae natum per tua ſtudia, curamque ſoſpitem, ac florentem tecum, ac diutius ſervet.

*ILLU-*

Digitized by Google

*ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO*

# JO: MARIAE LANCISIO

## SS. D. N. ARCHIATRO

FRANCISCUS BLANCHINUS

S. D.

DESCRIPTIONEM annui ſeceſſus in ALBANOS Colles penſum aſſumis Muſarum tuarum, PRAESUL Illme: noſtris vero conſtituis profectionem in montem. Ita nempe tuae Minervae Quinquatria quotannis in Albano celebras, uti Domitianus apud Tranquillum: nobis vero Feriarum Latinarum curam cum Rege Tarquinio demandas. Permittis, ut arbitror, antiquario jucundius feriari, circumſcripta ſuperſtitione. Age igitur, utrumque Latiarem excurſum referamus in Faſtos, aut certe in Ephemeridas Literatorum. Nam Te praeeunte, ac manuducente, animo non deſpondeo, quin eo uſque contingat ſubſequi, licet non paſſibus aequis.

Pro-

Probe noſti conſilium noſtrae profectionis in montem anno ſuperiori fuiſſe, ut, non minus animum, quam corpus exerceremus. Conſtitueramus in alto vertice, unde,

*Subjectas licet aeſtimare terras*,

exhibere ſpecimen Chorographicae deſcriptionis, quae trigonometricis regulis pararetur: necnon in certis ſtationibus montis pondus diverſum athmoſphaerae experiri pro elevatione varia locorum, ad quae conſcenſu pertingeremus: tum cetera etiam proſequi, quae de capiendis menſuris altitudinis collium, & montis, necnon de fundo laci comparando cum ſuperficie Tyrrheni maris fuerant erudite propoſita ad inquirendum. Ita nempe oblectatio erat in otio liberali negotium fingere. Hoc autem anno neceſſe non fuit occaſionem negotii comminiſci, licet actum agere videremur. Intelligis enim, in ſolutione triangulorum quidpiam fruſtra tentari, niſi prius de datorum veritate conſtiterit: inter data vero neceſſario connumerari aliquam lineam, certa menſura exploratam, cujuſmodi erat diſtantia Montis, aut Caſtri Gandulphi ab Urbe: qua poſita, veluti radio circuli, per Tabulas ſinuum, & tangentium elevationem Montis aſſequeremur ex numero graduum ſupra horizontem, in quo vertex ab Urbe ſpectatur. At haec

ipſa linea diſtantiae Montis ab Urbe, de qua cum maxime agitur, diverſis menſorum ſententiis ita variatur, ut mirum dictu ſit, quantum diſcrepantiae intulerit in Tabulas Chorographicas etiam Romae impreſſas; cum tamen videretur expectandum, ut nullam diſſentionem relinquerent lapides milliarii, Appia via paſſim collocati. Confer tamen, ſi lubet, deſcriptionem Latii a Jo: Dominico de Rubeis accuratiſſime inciſam Anno *1693.* cum alia Chorographia ejuſdem Regionis aeneis formis eleganter (utinam & fideliter) expreſſa ab Innocentio Abbate Matthejo, necnon poſtrema cum deſcriptione Agri Romani anno 1704. per Cingulanum delineata, & excuſa. Videbis, in hac noviſſima definiri intervallum inter Baſilicam Vaticanam, & apicem Albani Montis (hodie Monte Cavo) milliaribus Italicis quindecim, in ſcala appoſita expreſſis; cum in Matthejana ſit diſtantia milliarium undeviginti; & in Rubeana ſeptemdecim. Multo autem major eſt diſcrepantia earundem Tabularum in menſura elongationis montis, & promontorii Circeji ab eodem vertice Montis Albani. Rubeanis enim typis definitur millibus paſſuum duobus & quinquaginta. Mattheiana vero in excuſſione redditur brevior fere per trientem totius ſpatii, cum decurtetur ad milliaria 38.
Cin-

Cingulani charta Circejum (1) Promontorium non includit.

Intolerabilis haec diſcrepantia ſuadebat, ne alienae fiderem deſcriptioni; cum certo experimento poſſem veram intercapedinem propriis oculis explorare. Minus propterea miraberis, contractas fuiſſe menſuras interni maris, ſive Mediterranei a Gadibus ad oram maritimam Syriae per diligentiſſimas obſervationes aetate noſtra peractas, abſciſſis a longitudine quinque circiter gradibus, quae ſunt milliaria trecenta, necnon Malacae, Macai, Siamenſis regni, & Sinarum oras per decadas graduum nobis jam redditas proximiores ex fide obſervationum nuper editarum a Regia Scientiarum Academia: quibus corriguntur non modo antiquiores mappae, Ptolemaicae ſcilicet, ac Theodoſianae, & in iis memoratae Orientalium Regionum diſtantiae, ab inexpertis Itinerum metatoribus aeſtimatae nondum adulta Geographia; verum & noſtri temporis Tabulae a celeberrimis Viris du Vallio, & Sampſonio, & de l'Isle concinnatae ex infidis nautarum deſignationibus, atque ita vitioſis, ut ex Malacae longitudine octodecim gradus fuerint

 omni-

(1) De ampliori loquor in folium duplex expanſa an. 1674. nam alia anguſtior illa & vetuſtior unifolia ejuſdem Matthei Circejum non attingit.

omnino abſcindendi, hoc eſt leucae Gallicae quingentae & quinquaginta ; ex Macaenſi vero gradus ſex ac viginti, nempe leucae ferme octingentae, ſive milliaria Italica biſmille circiter & quingenta. Vides quam immane ſpatium Terraquei globi metatores adjecerint: quos toto Coelo aberraſſe quidem non dixerim; ſed citra trientem diametri terreſtris globi ſuperficiem expandiſſe nemo negaverit. Excuſatione tamen digniores habendi ſunt Geographi prae Chorographis. His enim licet unico intuitu fidem explorare ſuae deſcriptionis; illis vero ut plurimum neceſſe eſt ad alienam diligentiam referri. Regio quippe tota ſubjacet oculis Chorographorum ; cum uno plerumque horizonte phyſico tota contineatur. At Geographorum ſtudium Herculeae metae non limitant; nam ultra Oceanum, & Gades Neptunios currus agere, & ultra anni Soliſque vias, ſi velint ipſi experiri, per omnes Zonas ferri coguntur. Verum haec alias. Attingenda hic leviter duxi; ut ratio conſtaret dubitationis ſubortae in Latii Chorographia ex diſcrepantia dimenſionum in variis Auctorum tabulis: ad quam dirimendam trigonometricum experimentum in vertice Albani montis capiendum curavi.

Linea igitur, quae conſtituebatur aſſumenda

da ad ſolutionem trianguli, erat diſtantia Templi Vaticani a Monte Albano, ſeu Cavo in edito illius vertice, ubi antiqui fani rudera adhuc ſuperſunt. Quae cum ex Chorographis tuto peti non poſſet, ita fuit geometrice exploranda. Triangulum ſtatui, cujus baſis eſſet linea intra Urbem ducta a tholo Baſilicae Vaticanae ad centrum tecti Thermarum Diocletiani ubi Meridiana Clementina fuit conſtituta ante annos decem. Ab utroque extremo hujus lineae ſeu baſis duxi rectas ad apicem Montis Cavi, quae trianguli latera conſtituunt. Si baſis nota ſupponatur ex Urbis Topographia, cum anguli cognoſci poſſint per ſemicirculum vel quadrantem circuli in gradus diviſum; latera facile aſſequeremur. Subridebis, ut arbitror, cum intelliges, nec de illa quidem linea inter Topographos convenire. Quid inquam inter Topographos? In menſoribus eſt diverſitas. Lege, ſi lubet, opuſculum in Urbe non ſemel excuſum, cui titulus eſt, = *Miſura delle ſette, e delle nove Chieſe di Roma, del circuito, e delle ſtrade maeſtre &c.* = Auctor in praefatione ad Lectorem teſtatur menſuras a ſe captas fuiſſe, opera ac teſtimonio quatuor, quos nominat, peritorum. Qua tamen diligentia id praeſtiterint, nullo negotio colliges ex comparatione duarum viarum in Urbe praecipuarum, ubi nullus flexuum ob-

obtentus menſuras variat, ſed perpetua rectitudo maxime tutam ac facilem exhibet dimenſionem. Prima eſt via per dorſum Quirinalis porrecta ab Equis marmoreis Phidiae, ac Praxitelis nomine inſcriptis protenſa ad Portam Piam. Altera eſt hippodromus, ſeu via curricularis ab ingreſſu portae Flaminiae producta ad angulum palatii S. Marci, ubi conſident Senator Urbis & Magiſtratus in exhibendis equorum miſſibus per Ferias hiemales. Priorem illam viam definit milliario uno, & catenis ſedecim cum palmis 17 $\frac{1}{4}$ ſive in univerſum palmis *7607* $\frac{1}{4}$ quorum *6670* conſtituit milliare. Secundam hanc, nempe curricularem viam, aſſerit eſſe breviorem palmis pluſquam trecentis. Conſtare quippe ait ejus longitudinem milliario uno,& catenis undecim, hoc eſt palmis *7302* cum dimidio. Conſule nunc Urbis Topographiam accuratiſſime delineatam & inciſam a Jo: Dominico de Rubeis ad aream B. Virginis de Pace anno *1697*. qua nihil caſtigatius adhuc in lucem prodiit. Circinus demonſtrabit, viam Quirinalem, quae illi Auctori, ac menſori longior eſſe dicebatur palmis trecentis, breviorem eſſe via curriculari, ſeu Flaminiae parte a Porta Urbis ad angulum Sancti Marci, pluſquam quinta ſui parte, hoc eſt palmis pluſquam millibus & ducentis, toto ſcilicet intervallo ab

aede

aede S. Marcelli ad S. Marcum. Ne igitur confiſus huic domeſtico metatori peregrinus eſſe in Urbe inciperem, ubi ex hoſpite cives evaſi, conſcenſo tecto Thermarum Diocletiani in aede S. Mariae Angelorum, per tubum opticum palmorum 15. micrometro armatum, excepi diligenter angulum, ſub quo viſebatur diameter externa tholi Baſilicae Vaticanae, necnon alterum ſub quo cernitur frons dimidia ejuſdem Baſilicae, ubi Salvatoris noſtri, ejuſque Apoſtolorum coloſſeae ſtatuae ſunt collocatae. Utraque autem menſura, nempe dimidiae frontis, & integrae diametri exterioris tholi, aequalis eſt; cum unaquaeque illarum extendatur palmis ducentis & quinquaginta, & ad angulum ferme rectum inſiſtat lineae a Thermis ad Baſilicam Vaticanam productae. Comperi angulum, ſub quo diameter tholi e Thermis viſitur eſſe minutorum 55': angulum vero, ſub quo apparet frons dimidia aequare minuta 57', minus aliquot paucis ſecundis. Licet enim ejuſdem menſurae cum tholo ſit; proximiori tamen loco aſſurgit per totam dimenſionem a tholi centro ad frontem Baſilicae, hoc eſt palmis 560, adeoque debet ex Thermis ſub paulo majori angulo dimidia frons apparere. Nequa vero dubitatio ſuborirètur de menſuris aliena fide conſtitutis, frontem ipſam Baſilicae conſcendi, & quin-

quingentis palmis extenſam deprehendi, atque adeo ejus dimidium ducentis & quinquaginta conſtare. Fiat igitur ut tangens anguli minutorum 57. quae in Tabulis Trigonometricis eſt partium radii 1658 ad palmos 250., quibus dimidia frons templi conſtat; ita 100 m. hoc eſt ſinus totus ad palmos 15078 diſtantiam Thermarum a fronte Baſilicae Vaticanae. Palmi 15078 aequantur pedibus Romanis antiquis 11752: quorum quinis cum paſſus conſtet; diſtare cognoſcitur Frons Templi Vaticani a tecto Thermarum Diocletiani paſſibus bis mille trecentis, & quinquaginta & $\frac{2}{5}$ Tholi autem diameter faciei parallela cum remotior ſit palmis 560, hoc eſt pedibus Romanis 428, ſive paſſibus 85 $\frac{1}{5}$; diſtantia tholi Vaticani a Thermarum tecto evincitur milliarium duorum cum paſs. 437. $\frac{4}{5}$

Ex angulo, ſub quo viſitur tholi diameter idem ferme numerus prodit. Angulus erat minutorum 55' cujus tangens eſt partium radii 1600 Fiat ut 1600 Tanges minut. 55' ad palmos 250; ita ſinus totus 100 m. ad palmos 15625. Hac autem e ſumma demptis palmis 560 intervalli a centro tholi ad frontem Baſilicae, ſuperſunt palmi 15065 diſtantiae Frontis Baſilicae a tecto Thermarum, quae prius inventa fuerat 15078 nempe tredecim tantummodo palmis longior: differentia ferme inconſpicua. Tuto igitur ſumi poteſt

poteſt menſura diſtantiae Thermarum tecti a fronte Baſilicae palmorum 15070: qui ſunt pedes 11746 ſeu paſſus 2349 $\frac{1}{5}$ ſeu rotunde 2350: cum eadem paſſuum quantitas ex utraque inſpectione proveniat: quae ſolis 16 paſſibus ſuperat milliaria duo cum triente. Et propterea ſi quis e porticu Baſilicae verſus gradus progrediatur paſſibus geometricis ſexdecim, ſive pedibus Romanis octuaginta, diſtabit a tecto Thermarum milliariis duobus & triente adamuſſim.

Hac itaque menſura deprehenſa licet inferre, cur menſorum, & Topographorum complurium incuriae fidere nequaquam debeat is, qui proprio experimento intervalla metiri poſſit. Quantum enim a veritate recederet in inferendo quiſquis in hoc dato admittendo obviam quamcumque Tabulam ſequeretur, facile intelliges, ubi contuleris ichnographiam Urbis, in Latio Matthejano, & in Cingulani agro temere delineatam, cum vera locorum intercapedine, quam Jo. Dominicus de Rubeis ſolerti diligentia exhibuit in noviſſima Romae Topographia. Experire per circinum, & ſcalam in charta Matthejana diſtantiam extremi propugnaculi in colle Vaticano ad occidentem ſiti ab extremo Urbis muro in Amphitheatro Caſtrenſi adhaerente Eccleſiae S. Crucis in Hieruſalem. Comperies juxta hunc Auctorem extendi milliariis

 quin-

quinque. Eadem linea in Latio Cingulani coarctatur ad millia paſſuum tria cum triente. At in tabula Rubeana aequatur milliaribus quatuor. Tantundem extenditur intervallum ab eodem propugnaculo ad portam Capenam: quod Matthaei Chorographia ſimiliter extendit ad quinque; Cingulanus vero decurtat ad tria milliaria cum triente, Rubeus veraci ichnographia quatuor millibus paſſuum adaequat in editione *1697*.

Conſtituta igitur certa menſura intra Urbem, ita reſolvimus problemata diſtantiae Tholi Vaticani, & Thermarum Diocletiani, tum a Caſtro Gandulfi, tum a vertice Montis Albani, ſive Cavi.

Eſto Triangulum TVG Angulus G in Gandulfi caſtro conſtituitur a lineis duabus eo perductis a Thermis Diocletiani T, & a fronte Baſilicae Vaticanae V. Exploravi per inſtrumenta oricalchica, quae circulum partiuntur in gradus, & in trientes graduum angulum G: quem in Palatio Pontificio Caſtri Gandulfi reperi conſtare gradibus 7. 10̀ quemadmodum intra Urbem reperi angulum T in Tecto Thermarum Diocletiani expandi ad gradus 124. 30̀; & angulum V ex fronte Baſilicae Vaticanae comprehendi gradibus 48. 20̀: quorum angulorum ſumma conſtituit gradus 180. In triangulo

lo igitur TVG, cujus anguli ſingillatim noſcuntur, necnon menſura baſis T V extenſa paſſibus 2350; facili calculo reſultat longitudo laterum TG, VG, nempe TG diſtantia Thermarum a Caſtro Gandulſi conſtans paſs. 14074; & diſtantia V G Vaticanae Baſilicae ab eodem Caſtro paſs. 15532. Ita vero procedit praxis trigonometrica ex demonſtratione.

Sumitur

| | |
|---|---|
| Anguli TGV gr. 7. 10 Tomologarithmus ſecundus | 1090394 |
| Ang. VTG gr. 124. 30 ſeu ſupplementi 55 30 logarithmus | 992599 |
| Semibaſis TV 1175 logarithmus | 307009 |
| | Log. 2) 390002 |

| | |
|---|---|
| Prodit Semilateris V G Log. | 390002 |
| Qui reſpondet numero | 7766 |
| Hic autem duplicatus | 7766 |
| * Dat latus V G paſſuum | 15532 |

| | |
|---|---|
| Anguli TGV Tomologarithmus ſecundus | 1090394 |
| Anguli T VG gr. 48. 20 Logarithmus | 987334 |
| Semibaſis TV Logarithmus | 307009 |
| | Log. 2) 384737 |

| | |
|---|---|
| Semilateris T G Log. | 384737 |
| Reſpondet numero | 7037 |
| Qui duplicatus | 7037 |
| * Dat latus T G paſſuum | 14074 |

Ex diſtantia cognita Thermarum a fronte Baſilicae Vaticanae ſimili ratiocinio elicitur diſtantia utriuſque termini a Monte Cavo ut ſequitur in Triangulo A T V

Sumitur

Anguli T A V gr.5.30 Tomologarithmus ſecundus ———— 1101842
V T A gr. 234. 30 ſeu ſupplementi 45. 30 Log. ———— 9853 4
Semibaſis T V 1175 Log. ———— 3070 9

Log. 2) 394175

Logarithmus numeri —— 8745
Qui duplicatus ———— 8745

* Indicat diſtantiam Vaticanae Baſilicae a Monte Cavo paſſ. ———— 17490

TAV Tomologarithmus ſecundus ———— 1101842
TVA gr. 0. Logarithmus ———— 980808
TV Semibaſis Logarithmus ———— 307009

Log. 2) 389659

Logarithmus numeri —— 7881
Qui duplicatus ———— 7881

Dat diſtantiam Thermarum a Monte Cavo paſſ. 15762

Sunt itaque lineae cognitae

V G diſtantia frontis Baſilicae Vaticanae a Caſtro Gandulfi paſſ. 15531
V A diſtantia ejuſdem frontis Baſilicae a vertice Montis Cavi paſſ. 17490
T G diſtantia Thermarum Diocletiani a Caſtro Gandulfi paſſ. 140 4
T A diſtantia earundem Thermarum a vertice Montis Cavi paſſ. 15 762

* *Tab. I. Fig. II.*

His vero menſuris perceptis, ac demonſtratis, ad quamvis diſtantiam in Latio univerſo aſſequendam procedere poſſumus expedite, ſi ab uno, & altero iſtorum locorum collimemus in tertium, cujus eſt elongatio inquirenda.

Quaeratur exempli gratia diſtantia verticis Montis Cavi a Palatio Pontificio Caſtri Gan-

Gandulfi. Cum ex vertice montis exceptus jam fuerit angulus duabus a lineis interceptus, quae inde feruntur una quidem in Caſtrum Gandulfi, altera vero in frontem Baſilicae Vaticanae; & rurſus in fronte Baſilicae exceptus ſit angulus linearum tendentium in Montem Cavum, & in Caſtrum Gandulfi; intelligitur triangulum A G V cujus angulus

| | | |
|---|---|---|
| V repertus eſt gr.—3.2ò. | Linea V G | 15532. |
| A graduum——44. o. | Linea V A | 17490. |
| G graduum——127.40. | Suppl. 52.2ò. | |

Summa 180.—

Cum in triangulo latera ſint proportionalia ſinibus angulorum fiat ut ſinus anguli A gr. 44. ò. nempe 6947. ad paſſus lineae eidem oppoſitae 15532. V G. Ita ſinus anguli V gr. 8. 2ò. nempe 14493. ad longitudinem lineae eidem oppoſitae A G paſſuum 3239. diſtantiam ſcilicet verticis Montis Cavi a Palatio Pontificio Caſtri Gandulfi.

Non ſecus praeſtabitur in reliquis Latii locis, quae perſpici a memoratis verticibus poſſint. Ea vero de cauſa, ut Latii Chorographiam ad examen revocaremus, excipiendos diligenter curavimus angulos, quos lineae ad varia loca ductae in ſubjecta planitie prae caeteris conſpicua e montis cacumine oſtendere videbantur,

tur, ſingulos in Tabellam propoſui, quam heic inſerendam curavi.

Habes igitur profectionis noſtrae conſilium, & fructum. Hiſce in ruderibus Montis, ubi Latiarem Jovem plerique indigitant, nos figimus, auſpice Chorographia Terminalem. Cum per tempus licuerit apud Praeneſtinos colles divertere, periculum faciemus, an fortuna addixerit in ſuo delubro noſtrae deſignationi. Verum nec Jovis Latiaris, vel Terminalis, nec Fortunae Praeneſtinae Fanum, aut Sortes Geometrae deſiderant, Circinus, & Regula ſunt noſtri tripodes, unde oracula mutuamur. Haec minime dubia etiam inter liberales ludos noſtrae interrogationi reſpondent. Quae autem ſerio tractanda cum ſuperis decernimus, ea ſunt vota ad Aras Chriſtianas rite ſuſcepta, ut liceat quotannis Optimo Principi, Sanctiſſimoque Patri, publicae ſalutis cura in ſua valetudine tuenti, tum pro incolumitate tuis conſiliis confirmata, tum pro Pace ſuis procuranda DEO gratias agere: ut his veluti ancillis ad arcem religionis accitis, Pace ſcilicet atque Incolumitate una cum liberalibus diſciplinis, & in Urbe Templa, & in Suburbanis Villas pacificus, & Sapiens Salomon ornare quam diutiſſime, & quam elegantiſſime poſſit. Vale.

Datum Romae VIII. Kal. Auguſti MDCCXI.

*IL-*

*ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO*

# JO: MARIAE LANCISIO
## SS. D. N. ARCHIATRO

Franciscus Blanchinus

S. D.

Albani aeris ſalubritatem in confirmata Optimi Principis valetudine omnes non modo laudant, ſed etiam experiuntur. Quotuſ-enimquiſpue eſt, ad quem illius vitae beneficium non pertineat, quae remotiſſimis etiam tractibus orbis terrarum paternam curam ſolerter impertit, & ſoſpitatis ſuae modum conſtituit in amplitudine benemerendi? Hujus igitur aeris adeo ſalutaris experimenta per eos dies a nobis inſtituta, quibus tua praeſertim diligentia, & hortatu, Illme ac Revme Praesul, incolumitati BEATISSIMI PATRIS eo ſalubri ſeceſſu proſpiciebatur exponenda Tibi per epiſtolam duxi. Licet enim ponderi athmoſphaerae explorando fuerint inſtituta, quod ad ſalubritatem vix pertinere

nere plerique judicant; attamen haud fruſtra referri ad ipſam quoque nonnullis placet, qui diverſam urgendi ſanguinis vim in pulmonibus, nec eandem cutaneis porulis reſiſtentiam ad comprimendum atque adeo ad tranſpiranda ſanguinis effluvia & minimas humorum excretiones obſervant in vario aeris pondere, quo diverſimmode extendi pulmonum cellulas neceſſe eſt, varieque premi & conſtipari texturam communium integumentorum; quo etiam fit, ut diverſus elaterii modus exerceatur ab incluſo & factitio aere, qui a ciborum ſolutione elicitur, ut Boyliana demonſtrat machina contra varium premendi modum, qui ab aeris circumfuſi leviori aut graviori momento pendet. Verum haec me, Te Judice, felicius definienda nunc miſſa faciam, ut narrationi unice inſiſtam ſubortae inter differendum quaeſtionis eruditae, quae occaſionem obtulit explorandae gravitatis differentiae pro modo elevationum in Monte Albano, & ſubjectis Collibus, nec non methodi a nobis obſervatae in utraque menſura ponderis & altitudinis capienda. Accipe igitur ſeriem geſtorum, in qua teſſeram offero paratae ad obſequendum Tibi, nec minus memorem a Te perceptorum munerum voluntatis. Vale.

IL-

*ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO*

# JO: MARIAE LANCISIO

F. B. S. P.

## PROBLEMA.

*Cur corpora eorum, qui ſuffocati in aquis perierunt, poſtquam pluribus diebus in imo aquae ſtagnaverint, ultro ſuper ejus ſuperficiem aſcendant.*

A Mathematicis, quibus genius me detinet, ſtudiis, ſi quis forte deturbatum me judicat, cum has, de quibus agitur, aquas ingredientem viderit, compeſcat pauliſper velim aſſenſum ſuum, quouſque illi, de mathematum cum aquis affinitate, conſtiterit. Recolat non exiguam noſtrae diſciplinae portionem in Hydroſtatica inſumi, quam ſcientiam, in balneo Archimedis genitam, honore maximo coluit Philoſophia, haereditario jure Mathematici poſſederunt. Adderet quiſpiam, nec Aſtronomo indignum eſſe per hoc temporis in undas deſcendere, qui viderit Solem ipſum ab Amphora detineri, tertius enim dies jam labitur, ex quo

*Phoebus Zodiaci bis quina ſede relicta*
*Per juvenis currit ſigna regentis aquas.*

Haec cum audiverit partim verius, partim feſtivius dicta, componet, ut arbitror, ſupercilii ſeveritatem, nec mihi relictorum mathematum crimen objiciet, tanquam profugo cuidam, aut Patriae deſertori. Adſumus in cauſa partim noſtra, partim Phyſicorum, at noſtra tamen. Expendamus igitur quod antea propoſuimus, nempe cur corpora illorum, qui ſuffocati in aqua perierunt, poſtquam pluribus diebus in fundo latuerint, extemplo ad ejus ſuperficiem aſcendant. Dabitis hanc veniam, Judices, ut in re Phyſico-mathematica quaedam a Mathematicis, quaedam a Phyſicis mutuer.

*Primo* igitur ſupponamus id, quod evidenti demonſtratione Archimedes, & Galilaeus in ſuis tractatibus de innatantibus in humido, docuerunt, imo quod ipſa confirmat experientia, nempe corpus aliquod, ſi in fluidum ſpecie levius immergatur, ad imum uſque deſcendere: ſi vero in fluidum ſpecie gravius, aſcendere.

*Secundò* id pariter a Galilaeo demonſtratum, & ab experimentis teneamus, nempe corpus ſpecie levius, quam fluidum cui immergitur, poſt immerſionem, tanta ſolummodo ſui mole, infra ſuperiorem liquidi ſuperficiem conſiſtere, ut moles fluidi parti immerſae aequalis, tantundem pon-

ponderis abſoluti habeat, quantum habet non ea ſolum pars,quae immerſa latet, ſed totum corpus, quod partim extat, partim immergitur.

Hinc Corollarii loco deducam, corpus aliquod, quod immerſum innatat fluido, ut deſcendere ultro poſſit, vel gravitatem ſpecificam fluidi minuendam eſſe, vel gravitatem ſpecificam corporis immerſi eſſe adaugendam, vel utrumque faciendum. Reddi autem poteſt gravitas ſpecifica corporis alicujus major, vel minuendo molem retenta eadem gravitate, vel augendo gravitatem in eadem mole, ut ex ipſa definitione gravitatis ſpecificae patere poteſt. Hoc artificio uſus eſt prudentiſſimus rerum Opifex in Piſcium conformatione; cum enim haec animalia indigerent modo ſurſum, modo deorſum per aquas ferri, adeoque modo leviora, modo graviora ſpecie reddenda eſſent, quam aqua, veſiculam quandam illis appendit, quam pro lubitu, & indigentia conſtringerent, ac dilatarent. Ita fit, ut ea conſtricta, & aere excluſo Piſces evadant aqua graviores, cum moles anguſtior fiat, eadem abſoluta gravitate (ſaltem ſenſibiliter) retenta; illa vero aperta, & aere impleta leviores fiant, & aſcendant, cum eadem, vel inſenſibiliter, major gravitas, in multo majorem molem diſtrahatur: mira plane naturae ſolertia in beneficiis exhibendis, quae ceu doleret aeris uſu

Piſcium pulmones prohibuiſſe, invenit, quomodo novas largitati ſuae vias aperiret, & commodo voluntarii motus proſpiceret, ubi ſanguinis circulum novo artificio promoverat. Fit ergo ex Piſce, & Aere tertium quoddam corpus, ſpecie levius, quam ſolus Piſcis foret.

Hac quaeſtionis textura ordinata, ad penſum noſtrum revertamur.

Dum ergo quaerimus, qua fiat, ut corpora ſuffocatorum prius ad imum aquae deſcendant, deinde, tractu aliquot dierum, ſurſum ferantur (aſcendere vero non poſſint ea, quae antea deſcendebant, niſi proportio gravitatis ſpecificae aquae, & cadaverum per illos dies immutetur ex Corollario adducto), eo tandem ſtatus quaeſtionis devolvetur, ut ſcrutemur, quonam modo fiat, ut corpora, quae antea fuerant aquis graviora, jam evadant iiſdem aquis leviora ſpecie.

Ex ſuperiori igitur Corollario, fatendum erit, vel aquam, vel cadavera eſſe immutata. Cum vero de aqua certum ſit, nullſam in illa excitatam fuiſſe mutationem, quae ad rem faciat, intra illos dies, tota alteratio erit in cadaveribus requirenda, ac fateri debebimus, ſpecificam iſtorum gravitatem fuiſſe imminutam. Et cum tripliciter minui contingat gravitatem ſpecificam corporis, ut ibidem diximus, nempe vel minuendo molem non alterata gravitate, vel adaugen-

gendo gravitatem non aucta mole, vel utrumque praeſtando, alterutrum ex his, vel utrumque contigiſſe neceſſe eſt.

Antequam tamen ad ſententiam ferendam accedamus, conſulamus, ſi placet, Phyſicos, & duo ab illis requiramus. Primo, putentne corpus aliquod, retenta eadem gravitate abſoluta, vel ſaltem non ſenſibiliter adaucta, extendi poſſe ad multo majus ſpatium occupandum, quam antea impleret? Concedent, ut arbitror, poſſe: introducto ſcilicet corpore aliquo leviſſimo, (niſi etiam vacuum magis arrideat) quod intra ejuſdem ambitum jam diductum, & ampliatum, multum molis invehat, & fere nihil ponderis. Ita videmus augeri molem aquae, cum in glaciem concreſcit, pondere abſoluto nihil propemodum accreſcente, imo decreſcente ſenſibiliter pondere reſpectivo, ſeu ſpecifica gravitate. Aeris nempe introducti levitas id efficit. Nolim putetis, me, per aeris hac levitate inſtructi nomen, intelligere decantatum illud elementum, qualitatibus humiditatis, & caliditatis (verbis rancidis parcite) inſignitum. Exuimus jam ſuperba haec inſcitiae noſtrae integumenta, verboſas blaterantis ignaviae ampullas, quae, praeter verba, nihil apud cordatos Philoſophos ſonant. Scimus, aerem non aliud eſſe, quam ramenta corporum non nimium craſſa, continuis fluidorum motibus ab uno-

quo-

quoque abraſa,quae tantum abeſt, ut levitate poſitiva inſigniantur, ut manifeſte conſtet propria gravitate pollere. Haec tamen gravitas, licet in ſe ſpectata, ſenſum afficiat, collata cum gravitate ceterorum, de quibus modo agimus, corporum adeo evaneſcit, ut Follis e. g. aere repletus, tantumdem fere pendeat, ac quando compreſſione facta exinanitur. Cum igitur adeo exiguam gravitatem corporibus communicet ſenſibilis aeris moles, ( qualis in Follibus recipi poteſt ) ut ſenſum fere fugiat, evenire poterit, ut tantum molis, & tam exiguum cum mole pondus corpori addjiciat ſua intermixtione, ut tertium illud, quod ex aere,& corpore primo reſultat,multo levius ſit, quam fluidum, quo antea corpus illud gravius erat. Id in glacie, id in Piſcium veſiculis, id in pluribus aperte videmus. Conſtat igitur, corpus aliquod, non mutata ſenſibiliter gravitate abſoluta, molem ſuam poſſe inſigniter amplificare, adeoque non adaucta gravitate abſoluta, poſſe gravitatem ſpecificam adaugeri.

Quaeramus Secundo a Phyſicis, num in fermentatione id eveniat, ut corporis ambitus augeatur, nullo gravitatis additamento, ſaltem ſenſibili, introducto? Neque id profecto negabunt: cum enim acida immiſcemus alkalicis, fitque illa ebullitio, & ſubſultus partium, quae ſaepe in ma-

majus ſpatium excreſcit, gravitas abſoluta non creſcit. Neque id mirum videri debet; ſiquidem in fermentatione, cum intercedat partium antea quieſcentium motus, & diſtractio mutua, adeoque plures lacunulae, & interſtitia exoriantur, a partium traductione in loca diſtractiora, fieri poteſt, ut corpus aliquod, nempe aer, aether, vel ejuſmodi quidpiam ( aut ſi cuiquam libuerit etiam vacuum ) in ea loca ſcucedat. Ita fiet, ut mole adaucta, eadem prorſus gravitas abſoluta remaneat. Stet igitur, & mole corporis aucta, gravitatem poſſe non augeri, & in fermentatione id ſaepius contingere.

Jam ad cadavera revertamur, ad quorum inſpectionem hiſce facibus a Matheſi, & Phyſica mutuatis utemur. Inflantur, turgent, ſingula propemodum membra hydrope ventoſa ( ſi nominare ita liceat ) laborant. En igitur manifeſtum molis incrementum. Quid ergo ultra quaeremus, cum tumores iſti, pluribus in locis excitati, aperte prodant, eorum ope factum eſſe, ut cadavera, quae antea illis deſtituta deſcenderant, jam gravitatis proportione alterata, ſurſum trudantur.

Non acquieſcit tamen animus, quouſque explicetur, quonam modo tubera haec ſuborta fuerit. Fermentationi tribuendum id reor. Plurima ſiquidem aqua, per os illapſa in ventriculum,

lum, ac pulmones, & violenter in plures alias corporis partes injecta, vehiculi loco inſervit ſalibus illis, qui ad fermentationem parati ſunt: non diſſimili prorſus ratione, ac in gypſo, & calce evenire ſolet, quorum ſalia, cum antea quieſcerent, ſola aquae affuſione in motum vehementiſſimum excitantur: idipſum evenit in Foeno, quod ſi aridum reponatur, nullum ſubit accenſionis periculum; ſi vero humidum ſit, facile flammas ultro concipit: non eo, quod in arido non ſint ea ſalia, quae ad igneum fermentum continuandum deſiderantur, admoto enim igne facilius ab arido, quam ab humido foeno illas elicimus: ſed quia vehiculum deeſt ſalibus illis, quod neceſſarium eſt, ut in motum facile turbinentur. Excitantur itaque in fermentationem humores, & in ampliorem locum expanſi, molem adaugent, cui, cum nulla ſenſibilis gravitas addjiciatur, conficitur tertium quiddam ex cadavere, & bullis iſtis ſpecie levius, quam antea eſſet ſolum cadaver, quod propterea e fundo emergit, & innatat. Funguntur itaque ſubcutanei tumores iſti eo prorſus munere, quod veſicae exercent in iis, qui artem natandi addiſcunt. Appenduntur illorum lateribus plures veſicae, aere ingeſto refertae, quae, cum natantibus tertium quoddam corpus conſtituunt ſpecie levius, quam aqua, & propterea a ſubmerſionis pericu-

lo

Digitized by Google

lo prorſus immunes, ſecuroſque illos reddunt. Ita & in his cadaveribus evenit: & cum in eorum ſingulis diverſa & gravitas ſit, & quantitas aquae ingeſtae, tum etiam ſalium ad fermenti motum excitandum diverſa ſit copia, citius propterea, vel tardius alia aliis aſcendunt, prout citius vel tardius actionis celeritate, & ſalium quantitate interveniente factum fuerit, ut ad illud gravitatis aequilibrium perveniant, ſeu, ut verius dicam, ad eam gravitatum proportionem, quae aſcenſum cadaveris exigit. Hinc crediderim, Piſces adeo celeriter, poſtquam occiſi fuerint, ad aquae ſuperficiem ferri, vel quia eorum veſicula, de qua ſupra diximus, ab extremis convulſionum motibus expanſa, illorum molem dilatet, eoſque reddat ſpecie leviores, quam aqua; vel quia gravitas illorum ſpecifica, tam modice differat a ſpecifica aquae gravitate, ut minima alteratione in illis facta, tantum momenti reſpectivo illorum ponderi detrahatur, quantum ſufficiat, ut a circumjacentis aquae preſſione ſurſum trudantur.

Exeundum tamen mihi praepropere eſt ab his aquis, ne huic Helleſponto nomen proprio naufragio faciam. Novum apud Phyloſophos infortunii genus non eſt in aquis periiſſe. Ne igitur noſtra quoque abſorbeatur in hoc pelago Philoſophia, non ad eas Urſas profugiam,

...... *Quarum regit altera Grajas ,*
*Altera Sydonias , utraque ſicca , rates .*

Tot medica Sydera , quae Aeſculapii aſteriſmum in doctiſſimo hoc Coetu componunt , & Cynoſuras , & Caſtores mihi eſſe augurabor .

Septem diu viſas fuiſſe Plejades narrat antiquitas . Fabula tamen eſt , Electram prae dolore in Crinitam migrâſſe . Sex quoque tuo in Stemmate Stellas unuſquiſque videt , at ſeptimam non requirit . Praeſentiſſimus enim ipſe es omnium oculis , quos beneficiorum lumine ſemper irradias . Vera illa metamorphoſis , quae te in Caeli Cardines tranſtulit , in Cynoſuram quoque convertit . Tua elevatione non Caelo minus quam terris conſultum fuit . Experitur Eccleſiae Atlas validiſſimus,quantus inter ceteros cardines,& robore & flumine appareas . Experiuntur humiles terrarum oculi, quam fida ſis Cynoſura velis. Patere itaque,& opuſculum iſtud extra Patriae limites evagaturum,quo ſecurius ſyrtes evadat, ſecum adducere Cynoſuram,ampliſſimum nempe tui nominis Patrocinium , cui ſe humillime devovet . Vale .

EX-

# EXPERIMENTA
## JUSSU ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI
# JO: MARIAE LANCISII
## S. D. N. ARCHIATRI
## ET A SECRETIORI CUBICULO
*Peracta in decem generibus aquarum anno 1707.*

EXperimenta, juſſu Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini Joannis Mariae Lanciſii S. D. N. Archiatri, & a ſecretiori Cubiculo peracta, in decem diverſis aquarum generibus, ad Claſſes quinque rediguntur. Explorari ſiquidem mandarit Odorem, Colorem, Figuram, Saporem, ac Fermentationem cujuslibet aquae, & ſalium inde concidentium poſt evaporationem, hac methodo.

Curavit ſingillatim impleri cucurbitas vitreas ſeſquipalmum longas, & ſemipalmum in ore latas, aquarum generibus propoſitis. Tum lento igni admotae, diſſolvebantur aquae in vaporem: & fundo cucurbitae vitreae, adhaerebant ſales concreſcentes: qui poſtmodum, microſcopio ſuppo-

 ſiti,

ſiti, figuram propriam ſingillatim obſervandam praebebant per duplex experimentum. Primo quidem, in ipſa vitri ſuperficie, cui ſuapte natura adhaeſerant ignis ope, a ſubtiliori parte ſecreti. Iterum vero explorabantur ſales, e vitro diligenter exempti per ſpatulam aut ſcalprum, ubi tenacius eſſent adglutinati. Explorata figura ſalium, ita exemptorum e cucurbita, Sapor eorundem linguae judicio ſupponebatur. Odor vero inter evaporandum adnotatus, iterum erat percipiendus e ſálibus in vitro conſiſtentibus. Denique tentabatur & fermentationis modus, duplici liquoris genere guttatim infuſo, primum ſcilicet per ſpiritum ſulphuris; deinde per oleum tartari.

In experimentis recenſendis, ne eandem narrationem repetere ſaepius cogamur, indicamus in margine ordinem ſingulorum tentaminum, ac relationem ad quinque illa criteria noſtro examini demandata Odoris, Coloris, Figurae, Saporis, & Fermentationis. In criterio figurae, quoties memoramus primum experimentum, toties ſignificamus, ſalium vitro adhaerentium, figuram a nobis exploratam ante eraſionem. Ubi vero addimus ſecundum experimentum, neceſſe eſt intelligere, ſales ſpatula aut ſcalpro diligenter e vitro corraſos, & exemptos, (niſi ſuapte natura deciderent) & microſcopio ſuppoſitos, alterum figurae tentamen nobis exercendum praebuiſſe.

Aqua

## Aqua Fontis ad Ripam Tibbris Erumpentis.

Incluſa cucurbitae vitreae,atque igni admota, ut in vaporem diſſolveretur, odore ſulphureo Aedem replebat. *Odor*

Poſt evaporationem, ſales concreti in fundo vaſis,nonnihil ſulphurei odoris retinuerunt, nares leniter percellentis, idque non inſuaviter.

Albeſcens dilutior *Color*

*Figuram vide num. I.*

Figuram ut aſſequeremur ſalium, ex aquis ſingulis expreſſorum, & vitro adhaerentium poſt evaporationem, duplex experimentum inſtituimus. Primum, admovebamus microſcopium externae ſuperficiei cucurbitae vitreae: cui ſales adhaeſerant, ſuopte ingenio depoſiti, inter evaporandum. Secundum vero experimentum coepimus,corradendo ex interna vitri ſuperficie collectos ſales, quos deinde ſubjecimus microſcopio, & contra lumen apertum inſpeximus,ita ut,externa atque interna ſtructura eorundem ſalium,quoad poſſet, diſcerneretur.

In primo experimento,figura ſalium referebat lamellas tartari defaecatioris, ad cremorem tartari accedentis ſalis, ut *in Figura* I. Ita adhaerebant vitro, ut inde ſua ſponte non dilaberentur (quod in Nucerina praeſtant & Feliciana).

In

In ſecundo experimento, ſcalpro diligenter eraſi, & microſcopio ſubjecti, ſalis communis candidam maſſam referebant.

*Sapor* Salium iſtorum ſapor lingua tentatus, acrius pungebat, non ſecus ac nitrum tartaro permixtum. Nihil tamen cum proderet amari, tartarum potius, quam nitrum referre, ejus natura viſa eſt.

*Fermentatio* Sales, ſulphureo ſpiritu guttatim infuſo, ſtatim ebulliebant: neque dulciores poſt Fermentationem ſunt redditi. Nulla Fermentatio excitabatur infuſo oleo tartari.

## Aqua e Fonte Grilli.

Tum inter evaporandum, tum evaporatione abſoluta, perinde olfactum affecit, ac puri latices fontium Nuceriae. Siquidem aqua Nucerina exiguum quidpiam ſulphurei odoris emiſit, dum igne diſſolveretur, haec autem noſtra, paulo etiam remiſſius olebat ſulphur. Ab igne autem, remota utraque aqua, odore penitus deſtituta videbatur, aut tantillum, idque gratiſſimum priſtini odoris retinere.

*Color* Albidior quam in praecedenti.

*Figuram vide num. II.*

In primo experimento, apparebant ſales conformati in orbiculares lamellas molis exilioris, quam in praecedentibus ſpectaretur. Per-

Pertinacius cum adhaererent vitro quam praecedentes, ab eodem aegrius eraſi & microſcopio ſubjecti, maſſam ſpongioſiorem prodebant.

Sales minus acriter pungunt quam praecedentes. Produnt aliquid ſaporis amari. *Sapor*

Aqua Nuceriae.

Inter evaporandum ſuaviter olebat nonnihil ſulphurei: quem odorem maxime gratum ſed adhuc leviorem retinuit poſt evaporationem. *Odor*

Albedinem praecedentis non eſſequitur, ſed vergit tantiſper in rubedinem dilutiorem. *Color*

*Figuram vide num. III.*

In primo experimento, globulis minutis compacti apparebat ſalis figura, praediti ad regularem propius accedente, quam in ſuperiori obſervaretur, ut vides *in Figura num. 3.* A.

Scalpro autem diligenter exempti a vitro, cui, inter evaporandum, adhaeſerant, & microſcopio iterum ſuppoſiti, viſi ſunt in ſecundo experimento, iidem globuli lamellis tenuiſſimis, ac pellucidis racematim adhaerere, ut oſtendit *Figura num. 3.* B.

Nulla acrimonia, nulloque amarore guſtum afficiebant, naturam alkalicam indicantes, minime tamen ingratam. *Sapor*

Sul-

Digitized by Google

*Fermentatio* Sulphureo ſpiritu guttatim infuſo, vix paucae atque exiliores bullulae excitabantur.

### AQUA E FONTE VATICANO.

*Odor* Admota igni, ac remota eodem ferme modo, olfactum afficiebat quo Nucerina; ſed odor Vaticanae fit ſenſibilior.

*Color* Maxime candidi ſunt ſales Vaticanae hujus aquae.

*Figuram vide num. IV.*

In primo experimento, figura ſalium, Nucerinos aemulabatur, licet ad regularem orbiculatam Nucerini propius accederent.

Exempti a vitro in ſecundo experimento, (quae exemptio admodum faciliter obtinebatur, cum lamellae ſalium ſuapte natura deciderent) & microſcopio ſuppoſiti, viſebantur conſtare lamellis majoribus: quibus minores laminae, utraeque pellucidae, erant impoſitae, quarum nonnullae conſperſae globulis & ſtriis longioribus, aliae vero globulis deſtitutae, ut oſtendit *Figura* 4. *num.* 4.

*Sapor* Acidi nonnihil indicabant alkalico ſuaviter attemperatum.

### AQUA BRACCIANENSIS.

*Odor* Admota igni ut evaporaret, in bullas grandiores attollebatur, quam in reliquis obſervarentur:

tur: & aegrius exſiccabatur, quam reliquae. Odore maxime ingrato naribus erat moleſta: quam graveolentiam retinuerunt ſales vitro adhaerentes poſt evaporationem.

Subrubeus in opaca veluti maſſa tartari concreſcentis. *Color.*

*Figuram vide num. V.*

Salium figura tartari grumos opacos referebat, & angulis ſolidis refertos, in ſecundo experimento.

In primo autem tentamine eoſdem ſales vitrum exhibebat, ſed in grumos minoris molis collectos.

Ingratus maxime, qualem muria foeculentior prodit. *Sapor.*

Aqua Beati Felicis, seu Feliciana.

Inter evaporandum craſſior videbatur. *Odor.* Exſiccata vero, ſales oſtendit vix ullo praeditos odore.

Candidiſſimus, qualis in ſalibus aquae Vaticani fontis. *Color.*

*Figuram vide num. VI.*

Utraque figura apparuit in primo & ſecundo experimento. Nam ſales ſponte concidentes, eradendi non fuerunt e vitro. Conſtabant vero lamellis pellucidis, conſperſis identidem bullulis minutioribus, ſpumae globulos aemulantibus,

F

tibus, & nitida ſuperficie praeditis, non ſecus ac ſi vernice fuiſſent illiti.

*Sapor.* Suavis,ex acido & alcalico attemperatus,ut in Vaticana.

*Fermentatio.* Spiritum ſulphureum ubi infudimus,levioris fermentationis indicium protulit,bullis grandiuſculis & rarioribus excitatis.

Oleo tartari admixto,nullum fermentationis initium prodidit.

AQUA TIBERINA.

*Odor.* Facilius evaporabat, quam reliquae,citra ullum odoris indicium. Poſt evaporationem, ſales ſubſidentes nonnihil ingrati odoris prodebant.

*Color.* Albus.

*Figuram vide num. VII.*

In primo experimento apparebant ſales, perſimides arenae, particulis irregularibus, & candidis.

Exempti autem e vitro, in ſecundo tentamine conſpiciebantur ſimiles maſsae ſalinae candidae,priſmatibus longiuſculis identidem diviſae, iiſque polygona figura praeditis, ut icon poſita *num. VII.* demonſtrat.

*Sapor.* Salem amarum refert,nitroſae quidem naturae, ſed nulla cum acrimonia.

Ma-

Maxima, & diuturna obſervata eſt, affuſo ſulphureo ſpiritu; ita ut ebullitio tam oculis, quam auribus perciperetur, & per 14. minuta horaria in automato horologio indicata perſeveraret. *Fermentatio.*

AQUA VIRGINIS, SEU FONTIS TRIVII.

Facillime evaporavit, ut proxima Tiberina, & ſuavi odore inter evaporandum nares affecit: quem ſales non modo retinuerunt poſt exſiccationem, verum etiam auxerunt admodum, & roſarum odori perſimilem demonſtrarunt. *Odor.*

Pellucidus, cum quadam albedine, qualis obſervatur in chryſtallo. *Color.*

*Figuram vide num. VIII.*

In primo experimento phrygiatum opus referebat, palmis, & globulis elegantiſſime diſtinctum, ut icon oſtendit *num. VIII.* A.

Aegre corraſi ſales, utpote vitro tenacius adhaerentes, & microſcopio ſuppoſiti, nativam figuram oſtendere nequaquam poterant: lamellis tamen aliquibus conſtare ſunt viſi, ut indicat icon *num. VIII.* B.

Acidiuſculus, ſed vix ſenſilis. *Sapor.*

Cum oleo tartari nulla; cum ſpiritu autem ſulphureo, adeo fuit exigua, ut vix ad dimidium *Fermentatio.*

 ni-

minutum primum horarium perduraverit, horologii ope exploratum diligenter.

AQUA PUTEI SALVIATORUM.

*Odor.* Lenta fuit evaporatio hujus aquae. Odor vero apprimè ſuavis: qui etiam evidentior, ac ſuavior evaſit poſt evaporationem, & violas, quas vulgo dicunt *mammole*, referebat.

*Color.* Flavo dilutiore apparebant imbutae lamellae chryſtallinae, quibus conſtare videbantur ſales, ſuperficiem imitati fructuum ſaccaro conditorum.

*Figuram vide num. IX.*

In primo experimento ſales dignoſcebantur conſtare globulis, torno veluti elaboratis, figurae propemodum regularis, ac perfectae, & molis grandiuſculae, quam fuerint globuli aquae Nucerinae.

In ſecundo experimento vix ulla obſervatio permittebatur. Licet enim facilis eſſet eraſio ſalium; eorundem tamen natura adeo erat fluxilis, ut aeri externo expoſita humore ſtatim imbueretur, & colliquati figuram amitterent propriam.

*Sapor.* Maxime mordax.

*Fermentatio.* Exigua: nam ſpiritu ſulphureo infuſo, vix ſenſilis ebullitio fuit, neque diuturnior, quam 40. ſecundis, ſeu $\frac{2}{3}$ unius minuti horarii.

AQUA

Aegrius evaporabat, quam reliquae, & majores in ampullas intumeſcebat. Nulla tamen graveolentia, tam igni appoſita, quam remota, nares affecit; imo vix ullum odorem emiſit. *Odor*

Albus erat ſalium color. In extremo limite evaporationis colores Iridis ſpectabantur, gradatim imbuentes priſmata chryſtallina ſalium praedictorum, ut in figura mox afferenda. *Color*.

*Figuram vide num. X.*

Figura in utroque experimento elegans, & conſpicua viſa eſt. Attendi autem debet in extrema parte evaporatae depoſitionis ſalium, ubi etiam colores Iridis refert antea deſcriptos.

In primo igitur experimento priſmata oblongiora, varie diſpoſita, etiam nudis oculis in vitri ſuperficie obſervabantur, ut icon oſtendit *num. X. A.*

Proximi priſmatibus ab extremo limite evaporationis paulatim recedendo occurrebant grumi ſalini filamentis priſmatum intertexti, aut implexi, ut exhibet appoſita figura *num. X.* B.

In ſecundo experimento facillime corraſi ſales oſtendebant, interiorem texturam priſmatum praedictorum conſtare globulis in rectam lineam diſpoſitis, ut oſtendit icon *num. X.* C.

Nullus: obtuſiori enim ſenſu linguam afficiebant ſales eidem impoſiti. *Sapor*.

Fer-

*Fermentatio.* Ferme fugiebat ſenſus. Nam oleum tartari nullam omnino excitavit: ſpiritus autem ſulphuris adeo exilem, ac brevem, ut ex horologii indicatione vix ad ſextum ſecundum temporis, ſive decimam partem unius minuti horarii pertingerit.

AQUA AD FONTEM TIBERINUM SUB AEDIBUS DUCUM SALVIATORUM notata ſupra num. I.

*Odor.* Inter evaporandum maxime gratus, & facillime evaporabat. Poſt evaporationem nonnihil lixivialis redolebat.

*Color.* Subalbidus.

*Figuram vide num. XI.*

In primo experimento priſmata nitri, in angulos diſpoſita viſebantur in limbo extremo evaporationis. Reliqua ſubſidentia farinaceis globulis, ſive ſalibus acervatim extenſis erat perſimilis, ut icon oſtendit *num. XI.* B. Die 6. Maji 1710. evaporata aqua, nulla priſmata protulit, ut in A, ſed tantum globulos, ut in B.

In ſecundo experimento maſſam ſalis candidi referebat, cum aliquot acuminibus extantium priſmatum, in prima figura nitide expreſſorum, ut icon oſtendit *num. XI.* C.

*Sapor.* Acido pungenti, linguae extremo impoſitus, organum guſtus vellicabat.

Sul-

Digitized by Google

Sulphureo ſpiritu guttatim infuſo, exiguas bullas excitari vidimus ad unum circiter temporis minutum. *Fermentatio.*

### Aqua ad Phoebeos.
### Die 6. Maji 1710.

Evaporatio facilis.

Gratus: imitatur roſaceum. *Odor.*

Albidus, ſed remiſſior, qualis in ſaccaro minus expurgato, vulgo *di ſeconda ſorte*. *Color.*

*Figuram vide num. XII.*

Figura ſimilis figurae B praecedentis aquae, ſed ſales erant perimetro minus rotundo definiti; & potius polyedria, quam globulos referebant, ut icon oſtendit *num. XII.*

Acidus. *Sapor.*

Exigua ad dimidium minutum circiter pertingens, imo ad 40. circiter ſecunda, & quandoque ultra minutum. *Fermentatio.*

### Aqua ex Fonte Feroniae Narniensi.
### Die 6. Maji 1710.

Evaporavit omnium celerrime, cum ſedimenti copia minore, quam in reliquis.

Suaviſſimus. *Odor.*

Non admodum candidus, ſed rubedine dilu- *Color.*

Digitized by Google

dilutiori imbutus, non ſecus ac in aqua Nuceriae.

*Figuram vide num. XIII.*

Figura e minutis ſalibus plerumque quadrangulis parallelogrammis, & tranſparentibus, ſeu diaphanis. In qua Nucerina erant racermatim diſpoſitae iſtae ſalium particulae. Vide figuram *num. XIII.*

Heic vero non ita, ſed ab invicem disjunctae. Subſidebat inter illas pulvis minutior. Moles autem ſalium ſingillatim erat minutior, quam eorum, qui eliciuntur ex aquis *num. XI. XII.* & *XIV.*

*Sapor.* Imitatur terram Samiam, nempe abſque ulla aciditate, & dulcorans linguam.

*Fermentatio.* Ferme nulla etiam cum ſpiritu ſulphureo: nam vix tria temporis ſecunda perdurabat.

### AQUA EX PUTEO S. ONUPHRII
### Die 6. Maji 1710.

Evaporatio celeriter peragebatur.

*Odor.* Gratus, & acutior praecedenti.

*Color.* Inter pallidum, & cinericium, cum aliqua obſcuritate.

*Figuram vide num. XIV.*

Figura e minutis ſalibus angularibus, & diaphanis, ſed interſperſis minuto veluti pulvere

re ſalium ſubtiliorum. Ipſi etiam ſales erant figurae paulo minutioris, quam ſales aquae ad Phoebeos, ſupra *num. XII.*

Acidus inſimul, & ſalinus. Sapor.

Per ſeptem prima temporis minuta perdurat. Fermentatio.

Aqua.......

Die 12. Decembris 1711.

Inter evaporandum gratus, & facilis ſolutionis, poſt evaporationem gratiſſimus, inter violaceum, & roſaceum. Odor.

Candidus, ut ſalis expurgati. Color.

*Figuram vide num. XV.*

Figuram in primo experimento, oſtendit icon *num. XV.* A. In extremo evaporationis plures lamellae quadratae figurae, ac ferme regulares viſebantur, interſperſae punctulis; tum alicubi ſuperpoſitae, aut junctae lamellae quadratae, alias figuras componebant, ut icon oſtendit *num. XV.* Q.

In ſecundo experimento, maſſam ſalis candidi referebat nonnihil inſertam priſmatibus nitri, ut icon oſtendit *num. XV.* B.

Salſus, mixtus acidulo. Sapor.



Digitized by Google

### ADNOTATIO.


Obſervatum fuit; colorem ſalium in fermentatione ita immutari, ut ii ſales, qui ante infuſionem ſpiritus ſulphuris erant pallidiores, & obſcuriores, evaderent poſt fermentationem candidiores; reliqui vero, qui antea fuerunt albidi, & candidiores, nempe ſales Ferroniae, & Fontis Tiberini, poſt fermentationem evaſerint pallidiores, & ad rubedinem obſcuram vergentes.



Digitized by Google

TABVLA SALIVM AQVARVM, QVORVM EXPERIMENTA PERACTA RECENSENTVR IN OPVSCVLO EDITO

pag. 35.



Digitized by Google

*ILLUSTRI ET PRAESTANTI ADMODUM VIRO*

# JUSTO FONTANINO

## S. D.

## Gisbertus Cuperus.

MEnſe Julio anni proxime elapſi longam & verboſam ad te dedi Epiſtolam, Vir Eximie; & quamvis nondum acceperim reſponſum, tamen vix dubito, quin ea per Magliabechium recte curata ſit, & ἀναβολὴν hanc propterea attribuo occupationi tuae.

Et licet forte hoc ipſo tempore nondum liber ſis a negotiis, me tamen tibi non ingratam rem facturum ſpero, ſi iterum te convenirem, & initio quidem anni omnia prolixa & proſpera tibi ex animo optarem, & deinde exquirerem, ſi quid inter innumeras, quae Romae ſunt, veteris aevi reliquias, inveneris .... quo elegantiae ſingularis & pulchritudinis Statuam, quae comitem habet GRVEM, uni inſiſtentem pedi, & altero tenentem lapillum, elucidari poſſet. Ut autem votum illud facio libens lubens, & eo, qui inter amicos debet eſſe, ſincero affectu; ita te



Digitized by Google

caelare nequaquam poſſum, me valde, imo ſummopere, deſiderare explicationem icunculae illius, quam ego haeſitabundus nunc credo nobis exhibere aliis non memoratam Deam VIGILANTIAM; licet fatear me ignorare, quare ſceptro nux pinea ſit impoſita, & quare tota fere nuda ſit. GRVS mihi illius opinionis auctor; quam ſymbolum eſſe noviſti apud Aegyptios, & alios iſtius praeclarae virtutis, ex qua utique pendet fere fortuna omnis generis hominum; tam pace, quam bello. Et inde mirari ſaepe ſoleo, Gentiles illam inter Deas non retuliſſe; cum tamen conſecrarent alias, quae certe non ſunt majoris momenti, imo iis adjecerint etiam, quo fuerunt ſtupore, vitia. Statua tamen illa Divinitatis hujus Virtutis videtur haud leve teſtimonium eſſe: quod tamen ſi ſtatuis aliter ſe habere, ego haud gravate, ſententia mutata, in caſtra tua tranſibo.

Rogavi anno 1705. exeunte Doctiſſimum & ingens Auguſtinianae Familiae decus Guielmum Bonjourium, ut exacte examinare, & minutiſſimas etiam lineolas per certum fidumque hominem deſcribere & pingere velit characterum Syriacorum, qui ſupponuntur Inſcriptioni Graecae, cujus initium eſt ΑΓΛΙΒωΛω ΚΑΙ ΜΑΛΑΚΒΗΛω, quam extitiſſe in vinea Cardinalis Carpenſis teſtatur Gruterus pag. 86. quamque etiam

etiam diu poſt videtur conſpexiſſe Sponius, qui eandem nobis exhibet initio Miſcellaneorum.

RhenferdusLinguarumOrientaliumFranequerae Profeſſor publicus illud a me petierat; & noſti procul dubio ex periculo Palmyreno, qua Vir ille ſit eruditione: putat ſe Syriaca, quae leguntur in marmore Aglibolo dicato, explicaturum, ſi modo fidum eorum nanciſci poſſet exemplum. Significavit tunc mihi Bonjourius, ſeſe ſcripſiſſe ad Illuſtriſſimum, & in antiquis marmoribus excutiendis exercitatiſſimum Virum Franciſcum Blanchinum, ut dignaretur in illud diligenter inquirere;ſed eundem reſcripſiſſe,illud in vineis non inveniri, uti etiam alia quamplurima, quae ibi aſſervabantur tempore Cardinalis Carpenſis.

Nunc autem certior factus ſum, marmor illud praeclarum reſurrexiſſe: quare te rogare etiam atque etiam audeo, ut id propter communia ſtudia agere velis, ut Syriaca inde adamuſſim ſcripta & picta nanciſci poſſem. Rhenferdus eo eſt ingenio, ut vix dubitem, quin ea pulchre ſit explicaturus: nunc edidit periculum Criticum characterum, qui in Nummis Gaditanis, & aliis Hiſpanis occurrunt; quorum ditiſſimum gazophylacium ex illo terrarum tractu ad nos attulit Jacobus Barius, qui per viginti annos Hiſpali, & in aliis Hiſpaniae Urbibus

bus Ordinum Generalium nomine res Mercatorum foederatae Belgiae curavit,totuſque inſuper Rhenferdus eſt in emendandis Euſebii, & Hieronymi libellis de locis Hebraicis, in quibus, poſt ultimas, eaſque accuratiſſimas Editiones, multa & gravia menda relicta ſunt, uti cognovi ex binis exercitationibus, quas Vir Doctiſſimus mecum communicavit.

Rogarem ipſum Illuſtriſſimum Blanchinum, cujus eruditionem miror, & cujus humanitas mihi valde laudata eſt; ſed vereor Viro aliis rebus diſtricto moleſtus eſſe; maluique eam ad rem uti, utpote amico & familiari, te parario.

Quare equidem a te enixe peto, (uti cuſtodem illorum monumentorum)Blanchinum verbis meis amantiſſimis & obſervantiſſimis ſalutare, & deſiderium meum ipſi palam facere; & id ſerio agere velis, ut voti fiam compos, non mea, ſed Reipublicae praecipue Literariae cauſa, quae pomoerium ſuum proferet, ſi Rhenferdus (id quod eum, quo valet ingenio, facturum credo) nobis tam abſtruſa enigmata explicare poterit. Vale plurimum. Davent. 20.Februar. 1708.

IL-

*ILLUSTRISSIMO AC DOCTISSIMO VIRO*

# GISBERTO CUPERO
## S. D.
## Fanciſcus Blanchinus.

PUduerat me pridem, Vir Illuſtriſſime, excitatum Epiſtolis humaniſſimis, quas ante triennium dederas Doctiſſimis & amiciſſimis Viris Dominico Abbati Paſſioneo, & P. Guillelmo Bonjour, tum etiam ante annum iteraveras Juſto Abb. Fontanino, iiſdem nominibus mihi junctiſſimo, ut curam omnem conferrem ad inquirendas antiquas Tabulas Palmyrenis characteribus inſculptas, nihil hactenus literarum ad Te perſcripſiſſe. Verum juſtiori pudore ſuffundebar, cum me ad ſcribendum conferrem. Intelligebam enim id unum poſſe ſignificari, me cum reliquis Antiquitatum Studioſis earundem Tabularum deſiderio antea tactum, nunc urgeri vehementius, quod rem Tibi gratam facturum aſſereres, ſi exemplar id genuinum ſubjicerem oculis, cum tuis, tum Viri Clariſſimi Rhenferdi; poſt editum plurima cum laude eruditio-

ditionis tentamen Punicum, & Gaditanum,
( quae ad me tranſmittenda per amicum ea de
re ſollicitum in dies ſpero ) hanc mantiſſam ad-
dere pollicentis circa literas Palmyrenas. Et qui-
dem me legiſſe memorabam, Hortos Carpenſes
duos in Urbe extitiſſe, alterum ſcilicet ad Tem-
plum Pacis, ubi nunc Parthenotrophium &
Ergaſterion viſitur pauperum Puellarum ſeſe
in lanificio exercentium, alterum autem in
Quirinali, non longe diſſitum a quatuor Fonti-
tibus, qui quadrivium ornant ac denominant, ſi-
tum inter Aedes Pontificias, & Barberinas: quem-
admodum aperte legimus in Urbis Ichnographia
anno 1551. typis impreſſa, quando ſcilicet Hor-
torum Carpenſium nitor vigebat. Verum utro-
bique fruſtra requirebatur Tabula Palmyrena:
quippe quae ante annos pluſquam centenos di-
ſtracta fuerat cum praeſtantioribus Anaglyphis,
& Inſcriptionibus Muſei Carpenſis. Bono tandem
fato contigit mihi, Juſtinianam Villam, quae
ad Lateranum ſita eſt, hoc annno frequentanti,
quod ibi vetuſtis cum ruderibus egeſta nuper eſ-
ſent complura capita illuſtrium Virorum, eo
deturbata per infauſtas illas aetates, quas bona-
rum artium exitio infames, etiam nominare
ducimus, ominoſum contigit, inquam, ut ocu-
los altius attollerem in antiqua Anaglypha, ad
ornatum frontis ac laterum ejuſdem Villae in

parie-

Digitized by Google

parietibus Aedium elegantiorum aptiſſime diſtributa. Non longe ab Aedium faſtigio cognovi marmor, quod inquirebam. Utraque enim figura Alagboli ſeu Agliboli, & Malachbeli perſpiciebatur, cum ornamentis a Grutero deſcriptis, & a Sponio delineatis. Characteres quidem Graecos, & Palmyrenos non ſatis diſtinguere dabatur nudis oculis, prae nimia ſcilicet altitudine, quae ſexaginta palmorum intercapedine Tabulam a me removebat. Optico tamen tubo eoſdem ita ſecernebam, ut ſtylo imitari expedite poſſem. Verum & huic labori interceſſit humanitas maxima Excellentiſſimae Familiae Juſtinianae.

Vix enim indicaveram Principibus hiſce Viris, me cupere, ſi facultas eſſet, propius ad marmor accedere, & ex archetypo characteres excipere; cum Nobiliſſimi Fratres, ac praecipue Illuſtriſſimus Praeſul, aptari illico trabes, & ſublicium pontem inſterni juſſerunt, ubi tuto conſiſtere pro lubitu poſſem, & literas Graecas, ac Palmyrenas manu contingere, nedum oculis uſurpare. Quin etiam permiſerunt, ut creta complanata admoveretur marmori per artificem plaſtices peritum: qui ſubinde in lacunas characterum eandem adigens juſto preſſionis modo, ectypon retulit: mox affuſo ſupra cretam gypſo, toreuma literarium efformavit,

archetypo quamſimillimum: unde ipſe potui curare moroſius, ac reddere ſingulorum characterum ductus, figuram, intervalla, & ipſamet vitia marmoris exeſi, & in aes deinde transferre, ut incluſum exemplum oſtendit. Haec omnia minute exponenda duxi, ne celeberrimus Rhenferdus dubitare poſſit de ullius literae fide, aut integritate, dum linguae Palmyrenae uſum Eruditis reſtituere conatur.

Utere itaque, Vir Illuſtriſſime, tum noſtro Tibi obſequendi ſtudio, tum Nobiliſſimae Gentis Juſtinianae incredibili comitate, ac promptitudine ad bene de omnibus merendum, & ad literas illuſtrandas. Deo Optimo Maximo acceptum refero, quod tantillam hanc occaſionem praebuerit mihi, ad ſignificandum quantopere cupiam optatiſſimis Tuis juſſionibus exerceri: tum etiam, quod ita fortunavérit conatus animi, virtutes Tuas ac dotes praeclariſſimas celebrantis, ut ſtudio in te meo ſuffragari quodammodo voluerit, ex inſperato marmor objiciens, ac beneficentia Excellentiſſimae Domus Juſtinianae ſupplens, quidquid noſtra diligentia praeſtare facile non potuiſſet ope perſpicillorum. Ne igitur dubites me unquam defuturum fortunae: quam, uti nunc ſentio per amicorum literas humaniſſime a Te mihi oblàtam, ita etiam ſpero, tuiſmet Epiſtolis impoſterum confirma-

firma-

firmatum iri; quum perſuaſum habere debeas, me nominis,ac dignitatis tuae memoria ita affici, ut cum ejuſdem ſtudioſiſſimis certare velim, ac numerari

Illuſtriſſimae Dominationis Tuae

*Obſequentiſſimus & Obſervantiſſimus*
Franciſcus Blanchinus.



Digitized by Google

*ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO VIRO*

# FRANCISC. BLANCHINO

S. D.

GISBERTUS CUPERUS.

QUas Tibi, Vir Illuſtriſſime, gratias reddam, quod me tantopere beaveris? Ampliſſimas certe debeo; & vellem me ſingularia verba invenire, & ita rite teſtari poſſe, quanto beneficio in perpetuum me devinxeris.

Neque enim ſatis habes, me tam amice compellare, & ſignificare, magno apud te loco eſſe qualemcumque meam eruditionem; verum etiam ſuppeditas pulcherrimum monumentum, cujus magno abhinc tribus quatuorve annis tenebar deſiderio, uti ejus ope pulcherrimos Rhenferdi conatus in illuſtrandis Inſcriptionibus Palmyrenis adjuvare poſſem: id quod nunc procul dubio benevolentia erga me tua futurum eſt; quia video characteres illos multum differre ab iis, qui a Grutero, & Sponio editi ſunt.

Miſi unum ex Exemplaribus ad eruditionis prae-

praeſtantis Virum; & ſimulac reſponſum, atque explicationem aenigmatis illius accepero, non deſinam omne, quidquid eſt, tecum, uti fas, & aequum, communicare.

O felicem deambulationem, quae te in Villam Juſtinianam deduxit! o pulchram ſublationem oculorum, quae fecit, ut monumentum, quod perditum & mortuum quaſi habebatur, fuerit renatum! o praeclaram benevolentiam tuam erga ſtudia, & ſtudioſos Vetuſtatis! Ipſe enim id egiſti, ut accuratiſſime charactêres illi ſint deſcripti; idque non alterius ope, ſed tua propria manu: quae facit utique, ut neſciam, an magis mirari debeam amorem, quo omnigenam eruditionem proſequeris, quam ab omni elatione alienum animum; quod, in tanta Dignitate conſtitutus, demiſeris te ad excipiendas literas, quarum vetuſtate erant variae exeſae, & proinde difficilis ſcripturae.

Neque tantum id egiſti; verum etiam, qua es liberalitate, Marmor illud curaſti in aes incidi: id quod certe tam pulchre, & tam accurate factum eſt, ut iteratis vicibus Tabulam ſumpſerim in manus, & fuerim admiratus.

Atque ita pari paſſu incedunt humanitas tua ſingularis, atque exquiſita doctrina. Nam Te unum ex iis eſſe, qui Eruditione pollent, & Hiſtoria vetere, atque antiquis Ritibus tam ſacris,

cris,quam profanis animum habent ſuccinctum; ſatis prodit Hiſtoria tua Univerſalis, quam Italice conſcriptam ſaepius adire atque conſulere ſoleo, & Calendarium, & Cyclus Caeſaris; in quibus eruditiſſimis Libris te mei meminiſſe ſumma cum voluptate conſpexi. Et certe hoc mihi eſt honorificum: licetque a gloria alienus fere ſim, tamen extollor aliquo modo; quia libelli mei meruerunt tanti Viri adprobationem; id quod ſi non inde, utique ex literis tuis conſtat praeclariſſime.

Illae autem mihi ſiſtunt inſuper *Juſtinianos Principes*, qui ea fuerunt animi promptitudine, & erga me benevolentia, ut continuo pontem fieri juſſerint, cui inſiſteres, ut quamdiligentiſſime characteres illos excipere poſſes. Magni ſemper feci Illuſtriſſimam Domum illam, quia jam inde ab alte natis, ut cum Ovidio, ita de Livia canente, loquar, Majoribus, magna ejus fuerunt merita, & admirabilis atque ampliſſima gloria eandem tot Saeculis circumdedit.

Gratias Nobiliſſimis Fratribus, & Excellentiſſimis Principibus ago maximas, quod adjuverint tam ſplendide & prompte conatus meos de ſtudiis, (praecipueque de monumentis, quae nobis edax tempus, & variorum Populorum barbaries reliquit integra) bene merendi.

Ne-

Neſcio profecto, an te rogare audęam, ut hoc officio meo nomine apud Principes defungi velis: quod ſi mihi dabis; hoc etiam nomine, tibi, Vir Illuſtriſſime, plurimum ero obſtrictus: & certus ſis, me talem benevolentiam nequaquam obliturum.

In primis autem ſalutandus Illuſtriſſimus Praeſul, qui gravioribus ſacriſque occupatus cogitationibus, tamen non dedignatus eſt omnia facere, ut marmor illud commode exſcriberes.

Atque ita quidem reſpondi acceptiſſimae & pulcherrimae tue Epiſtolae; & finire deberem, ſi rationem habeam occupationis tuae. Sed facit eruditio tua, & amor, quo proſequeris omne, quod pulchrum & utile eſt, ut coeperim conſilium, quod te adprobaturum ſpero, de ruinis Perſepoleos agendi, quas nuper Amſtelaedami non abſque ſtupore vidi, & admiratus fui.

Cornelius de Bruyn Pictor, & curioſitatis ſingularis, edidit anno *1696* Iter, quod fecit per Aſiam minorem, Aegyptum, Palaeſtinam, variaſque Inſulas Maris Mediterranei. Belgica illud lingua conſcriptum, & inde in Gallicam translatum eſt; unde fieri potuit, ut illud comparare, & legere potueris. Is idem poſtea peregrinatus eſt ſeptem annis per Moſcoviam, Perſiam, & Indias; domumque redux ex illis

Re-

Regionibus, deportavit pictum, quidquid ipſi adnotatione, & hominibus externarum rerum diligentibus dignum viſum fuit.

Per ſex hebdomadas commoratus eſt in loco, ubi extant ruinae Perſepoleos, quem hodie *Zilmanar* vocant. Pinxit totam illam molem, ex lapide adinſtar ſilicis durae factam, & aedificatam; complexuſque eandem eſt pluribus tabulis, quarum in prima conſpicitur totum Opus, in aliis omnes ejus partes.

Videre licet characteres plane incognitos, &; quod mireris, ejuſdem fere formae, quibus prolixae ſatis Inſcriptiones conſtant: videre licet ordinem Architecturae, qui plane diverſus eſt a noſtris illis, quos a Graecis, & Romanis adoptavimus; & magnificentia, atque ſymmetria oſtendunt quamclariſſime, Regium hoc plane opus eſſe, & nulli vel Romanorum, vel Graecorum quidquam concedere: videre licet ſtatuas longe alio habitu, quam quae veteres in Orbe noſtro, vel alibi ſervantur: &, uti fidem picturis ſuis faciat, ipſas attulit illas ex rupe duriſſima exciſas, nec non lapides, itidem ſummo labore a corpore reliquo demptas fabrili manu, in quibus characteres illi ſculpti ſunt.

Verba mihi vix ſuppetunt, quibus magnificum illud Palatium deſcribam, quod exiſtimo longe ſupra ſeptem Orbis miracula eſſe, & quod non-

Digitized by Google

nonniſi immenſis, & qui rationes excedunt, ſumptibus extrui potuit; adeo ut dignum omnino ſit divitiis, & potentia Cyri, vel alterius Regis, qui totius fere Orientis fuit Dominus.

Spero apographum iſtorum characterum ad me propediem miſſum iri; nec deſinam, ſi & haec te cura ſollicitat, eundem tecum communicare, ut ita habeant eruditi Romani, in quo ſe bona fide exercere poſſint.

Jungam tam vetuſto monumento Inſcriptionem eodem in loco inventam, ſed poſterioris aevi; cum conſtet characteribus incognitis & nihil commune cum prioribus habentibus, & Graecis, & hiſce literis celebretur, *Deus Arſaces Rex Regum*.

Eandem mihi dono dedit Ill. Witzenius; miſique ad Rhenferdum, ut videat, an nobis ex literis incognitis, Graecas voces, quae male exſcriptae ſunt, explicare poſſit: cum non dubitem, quin utraque lingua res eaedem memoriae & poſteritati conſecrentur. Rogavi Virum Clariſſimum, ut mihi autographum remittere velit; & nihil eſt, quod dubites, quin a me exemplum accepturus ſis.

Multa addere poſſem, (niſi vererer eſſe importunus nimium) quae tam apud Bruynium, quam alios vidi. Illud tamen, pace quod fiat tua, quaero, an unquam Romae notaveris tibi,

Vir Illuſtriſſime, inter tot antiquorum temporum reliquias Statuam Bacchi, tenentem una manu racemum, altera Leporem. Ego falſi iſtius Dei talem προτομὴν aeream vidi Amſtelaedami, nec, qua ſum tarditate ingenii, capere poſſum, quid huic animali ſit cum Baccho. Quod ſi mihi velis ( namque potes ) lucem accendere de tuo lumine, certe tertium tibi ero, & quidem ſummopere, devinctus.

Si jam abuſus fui tempore tuo, & longa haec Epiſtola te detinuit, & abſtraxit diu nimis a munere, quod ſplendidum geris in Aula Pontificis Summi, non tam mihi ſubiratus eſſe debes, quam tibi ipſi, Vir Illuſtriſſime. Facit enim ſingularis eruditio tua, moreſque gratiſſimi, atque humaniſſimi, uti hac libertate uſus ſim, fuerimque aliquo modo moleſtus interpellator.

Nec credo utique aegre laturum CLEMENTEM XI. Auguſtum Principem, me te aliquo modo per horulam Ipſi eripere, quia probe novi, Eum magno loco habere ſtudia mea, quod mihi certe honorificentiſſimum eſt, & quia tam inſigni amore proſequitur, colligitque, & probe intelligit, quidquid nobis ex antiquis temporibus reliquum eſt. Unde & factum, ut προτομὴν Ejus mihi pingi curaverim per

per Pictorem Urbe Oldenzalia oriundum, qui eandem nitide & pulchre effictam Roma ſecum attulit, & exempla reddit plane ſimilia exemplari, ut ita viſa illa imagine, magis magiſque ad ſtudia incendi & inflammari queam. Vale plurimum, Vir Illuſtriſſime, & me, quod facis, amare perge. Davent. Ipſis Kalendis Juniis 1709.

*Poſtſcript.* Oblitus autem fui tibi gratias agere de miſſo Kalendario, & Cyclo Caeſaris:neque enim dubito,quin per Fontaninum, Virum profundae eruditionis, Librum illum mihi dono miſeris. Hoc officio nunc defungor; & addo,non abſque ſumma admiratione me eundem legiſſe, & vidiſſe te, Vir Illuſtriſſime, feliciter complures Nummos explicare de Epochis apud varios Populos uſitatis, eoſdemque ad curſum Solis referre, & aſtris, ut ſic loquar, non ſecus ac eos, qui aliis Signis Caeleſtibus notabiles ſunt, inſerere.

Intentata fere aliis omnibus via; quam tamen auſpiciis CLEMENTIS XI. aperis, & ita nos ad interiorem monumentorum praeclarorum cognitionem deducis. Fateor profecto, me multa ex lucubratione tam praeſtanti didiciſſe; illiuſque me facturum ſplendidam mentionem in Harpocrate meo, ſi quando ſecunda Editio in dias luminis prodibit oras, ut inde

perſpiciat eruditus Orbis, quantum in te boni poſſideat.

Cum autem illo Opere profundam & parum obviam doctrinam ſis complexus; inde fit, ut iſtud integrum poſſidere vehementer cupiam.



Digitized by Google

*ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO VIRO*

# FRANCISCO BLANCHINO
S. D.
GISBERTUS CUPERUS.

NUllus dubito quin acceperis Epiſtolam, quam ipſis Kalendis Junii proxime elapſi ad te dedi, & qua gratiis actis ſignificabam, me Inſcriptionem Palmyrenam acccepiſſe. Certiorem te etiam faciebam, Vir Illuſtriſſime, me æri inciſum exemplar miſſurum ad Clariſſimum Rhenferdum, quod recte a me curatum eſſe perſpicies ex iis, quae ad me miſit, unde ſimul cognoſces, quam multum tibi debeat, & quantopere fuerit gaviſus.

Conſtituit autem edere κειμήλιον illud, atque notis illuſtrare; cum, excepto uno, aut altero, characteres illos cognoſcat, & ita hanc Inſcriptionem ſtatuat debere interpretari, *Aglibolo, & Malachbelo, & aram ejus, ſcilicet throni, & cultum ejus faciundum curavit ex crumena ſua Juratus filius Chaliboei* (ΑΛΙΒΑΙΟΥ) *filii Jazaei, filii Samſiſaari, vel yonis, pro vita*

*vita ſua*, *& vita filiorum* ( liberorum ) *in menſe Sebat, vel Februario, anno Akiſaaſi*: putatque fieri poſſe, ut *Akiſaaſus* ſit nomen Principis, vel Magiſtratus Eponymi; uti apud Athenienſes vocabatur primus Archon.

Adjutus eſt valde ad haec aenigmata elucidanda novo Teſtamento Syriaco, quod ſervatur in Bibliotheca Guelferbutenſi, in quo Palmyreni characteres occurrunt: id quod utique clariſſime patet ex initio Matthaei Euangeliſtae, quod mecum Vir doctrinae egregiae communicavit.

Nihil eſt quod dubites, Vir Illuſtriſſime, quin praeclara multa in Opere, cujus Tu fons, & origo es, nos propediem ducturus ſit, de characteribus Aſſyriacis, quibus Biblia hodie a Judaeis ſcribuntur, & imprimuntur, Syriacis, Eſtrangelis, Judaico-Hiſpanicis, Judaico-Italicis, Germanicis, Polonicis, Barbaricis, & tandem Judaico-Tartaricis, in quibus omnibus putat, docebitque regnare characterem Hebraeum, ſed levi ductu huc illuc detortum, erectum, reſupinum, inclinatum, hamis, & ſpinis ſive ornatum, ſive deformatum. Unde perſpicere potes, Vir Eximie, quantorum bonorum amor tuus indefeſſus adjuvandi ſtudia cauſa ſit.

Nunc mitto inſuper characteres, qui inveniun-

niuntur inſculpti ruinis Perſepoleos. Linea quae notatur littera A, eſt initium Inſcriptionis, quae ſupra feneſtram eſt: B, indicat aliam a latere ſiniſtro: C, tertiam, quae eſt a latere dextro ejuſdem feneſtrae.

A



B



C



Vides omnes fere literas ejuſdem figurae, & cuneatas, ut ſic loquar, eſſe: ſimiles editae ſunt a Thoma Hyde in pereruditio libro de Religione Perſarum; ſed tamen patet, eam Inſcriptionem aliam ab ea eſſe, quam ad te mitto. Non dubito, quin tales Romae etiam videris, quae quaſi eſt ejuſcemodi rerum ſingularium di-

Digitized by Google

ditiſſima apotheca, & clariſſimum promptuarium. Sed quis nos docebit, quid ſibi haec aenigmata velint? Leibnitzius judicat hanc literarum ὁμοιότητο eſſe indicium Linguae vetuſtiſſimae; quia tunc videntur in uſu fuiſſe characteres valde ſimplices, &, pro more Saeculi, omni ornatu orbati: alius amicus meus inde faciebat characteres magicos: Hydius ſtatuit eos fuiſſe elaboratos a Viatoribus curioſis, ad ſervandam ſuam, vel aliorum memoriam: illique aſſentitur Rhenferdus. Sed ego Leibnitzio accedo, ſuntque mihi graves rationes, cur aliorum opinionibus manus dare nequeam, quas equidem ad te perſcriberem, niſi vererer patientia tua abuti.

Inſcriptio, quam Illuſtriſſimus Witzenius mecum communicaverat, perdita eſt inter ſchedas Rhenferdi: ſed exiguum damnum; quia poſtea animadverti, eandem editam eſſe ab eodem Thoma Hydeo, cui tamen nequaquam adſtipulari poſſum, mutanti Arſacem in Alexandrum Magnum, cujus nec vola nec veſtigium in illa reperitur.

Ego ſic ſtatuo, monumentum Perſepolitanum eſſe Regum Perſarum, & alterum tribus inde leucis remotum ab Arſacidis, vel ipſo Gentis regnatricis capite eſſe extructum: inde factum ut Inſcriptio etiam Graeca ibi legatur, cum

cum lingua illa tunc fuerit in multo uſu, uti vel inde patet, quod ipſi illi Reges in Nummis φιλέλληνες dicantur. Et Arſaces ille, cujus vultus vel Statua ſuper hanc Inſcriptionem poſita fuit, vocatur *Rex Regum*, putoque me in eodem monumento inveniſſe ΠΑΠΑΙΟΝ, quomodo Scythae, teſte Herodoto, *Jovem* appellabant. Occupatione mea fit, ut pluribus ea de re obſcura, ut nunc eſt, agere non poſſim; &, ut verum fatear, abuterer etiam tua patientia.

Atque ita quidem fidem meam liberavi: ſed accipe ut ἐπίμετρον; ectypum nummi aurei, qui ad me Berolino fuit miſſus: putant ejus Urbis eruditi, hiſtoriam equiſonis Darii in una area nobis exhiberi; & inde eum Darium eſſe: & certe eo ducunt omnino equus, & homo, qui eum capiſtro tenet: nec certe dubitaremus de ea explicatione amplius, ſi characteres, qui in altera area ſunt ſcripti, poſſent explicari. Sed id Rhenferdo, aliiſque ἀδύνατον: & inde eſt, ut te etiam atque etiam rogem, ut inquirere velis, an aliquis Romae Orientalium, mortuarumque Linguarum peritus Oedipus eſſe poſſit.

Plinius Junior alicubi ſcribit, *Quid agit Novum Comum, tuae meaeque deliciae? nonne auſim amicam hanc interrogationem, & blan-*

*dam, transferre ad Viros, qui Romae florent eruditione, ac dignitate, & me inter amicos ſuos numerant* ? Quid igitur agunt Illuſtriſſimus Corradinus?, quid Reverendiſſimus Auguſtinianae Familiae Generalis Adeodatus?, quid praeſtantiſſimi, & celeberrimi Viri Vignolius, Fontaninus, Ficoronius ? vivuntne, & Muſis, uti ſolebant, diligentem operam dant ? Scio Dignitates meo exemplo plurimum iis detrahere; ſed tamen & ſic illud ipſis procul dubio, non ſecus ac mihi, uſu venit, *Nulla dies abeat, quin linea ducta ſuperſit*.

Nondum ad me perlatae ſunt Antiquitates Hortanae, neque etiam defenſio juris Summi Pontificis in Comachium: & neſcio profecto, ubi libri illi tam diu haereant, cum magno deſiderio tenear eos legendi; eoſque ad me miſſos eſſe ab illuſtri eorum Auctore certior factus ſum. Sed manum tandem de tabula. Vale quapropter, Vir Illuſtriſſime, & feliciter gere rem publicam, & literariam. Daventriae 13. Julii 1709.

*Poſtſcript.* Vix haſce literas finieram, ecce ad me Venetiis adfertur faſciculus, in quo invenio Fontanini Antiquitates Hortanas, & Bonjourii Selectas in Sacram Scripturam Diſſertationes, ejuſdemque Kalendarium Romanum: inceſſique omnibus laetitiis, ubi vidi, me legere poſſe ope-

Opera tam exquiſita, & diu adeo deſiderata. Quod ſi mihi, ſtudiiſque communibus hoc dare velis, ut iſtud ſignifices Reverendiſſimo Generali S. Auguſtini Ordinis, & Illuſtri Fontanino, rem utique mihi gratiſſimam faceres; nec eſt quod dubitent, me iis gratias acturum, ſimulac animum meum, mentemque expleverim, tam doctas lucubrationes legendo.

Haec ad me ſcripſit Rhenferdus. „Literae tuae Vir illuſtris, quas xv. Maji ad me dediſti, recte, & juſto tempore mihi ſunt redditae: ex quibus quantam voluptatem perceperim, tute facilius animo perceperis, quam ego verbis calamove exprimere poſſim.

Conſpecto enim monumento Palmyreno, tanta fide, tantaque diligentia expreſſo, mirum quanta laetitia fuerim elatus; plane dubius haerens, Tuumne magis, & Illuſtriſſimi Blanchini in monumento illo inveſtigando ſtudium, ac induſtriam, an Excellentiſſimorum Principum Juſtinianorum praeclaram & omni celebratione digniſſimam humanitatem & liberalitatem debeam admirari.

Sed quidquid ſit, ego me felicem exiſtimo, cui tantus theſaurus obtigerit, ut ingenioli in illo exercendi occaſionem haberem. Gratias igitur pro eo ac debeo, habeo, agoque maximas & Tibi, & Illis, per quos voti

ſum potitus . Quod ſi brevi occaſio detur aliquid Romam mittendi , Te etiam atque etiam rogatum velim , Illuſtrem Blanchinum meo nomine humaniſſime ſalutes , & gratias agas ,, .

IL.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO ET PRAESTANTISSIMO VIRO

# FRANCISCO BLANCHINO

S. D.

GISBERTUS CUPERUS.

Literae,quas Roma III. Idus Januarias ad me dediſti, ſummo & inenarrabili gaudio me perfuderunt, cum a Te, Viro Illuſtri, & paucis comparando, proficiſcerentur; tum quia videbam, eas, quas ad Paſſioneum, quem in Helvetiis agere nunc primum edoctus ſum, ſcripſeram, in manus tuas perveniſſe, illaſque te tam ſplendide, & mirabiliter illuſtraſſe.

Inceſſi profecto omnibus laetitiis, & obſtupefactus quaſi fui, poſtquam animadverti ex interiore eruditionis tuae praeclarae penû promi tot parum obvia, & aliis ignorata, atque adeo tam probe & ſollerter ex novis illuſtrari monumentis Theſaurum in Gelris repertum.

Sive enim conſidero ſimiles,ſed minoris moduli,aureos nummos Veſpaſiani, Gordiani, & Trajani Decii, ſive icunculam æream Barbari Ducis vel Regis, cujus a collo pendet Conſtantini

nini Magni nummus, ſive lego ipſas eruditiſſimas literas tuas, id quod frequenter facio, ſemper rapior in admirationem, & judico, te optimam rationem dediſſe, cui rei inſervire potuerit ſplendidus ille aureus Theſaurus.

Quare perſuaſiſſimum habeas rogo, me plurimum tibi debere, & aeternum devinctum eſſe, quod me haeſitantem & fluctuantem confirmaveris, docueriſque, illum referri debere inter dona Auguſtorum militaria, & miſſa ab iis fuiſſe Regibus, & Ducibus Barbarorum Foederatorum, quos frequenter ejuſcemodi muneribus placare illis temporibus Caeſares ſolebant: imo Hiſtoria teſtatur, eoſdem ſaepe coactos fuiſſe illis tributa pendere, ut ita in partes ſuas traherentur, & imperium ab incurſione aliorum Barbarorum defenderent: qua de re adnotari varia poſſent, niſi probe noſſem, mihi conventurum, ſi id agere aggrederer, proverbium illud, *Noctuam Athenas*

Multum itidem Tibi, Vir Illuſtriſſime, debeo, quod æri incidi curaveris nummorum ectypos, quos ad Paſſioneum miſeram. Sed Honorii nummus, aliter ac meus ſeſe habebat, effictus fuit. Et inde eſt, ut petierim a Pictore meo, ut velit diligenter inſpicere prototypum, & corrigere quidquid peccatum eſt. Dictum, factum: & veram Romanam emendationem eſſe

eſſe, agnoſco libens lubens; id quod & antea, credas velim, ſuſpicatus fueram, quia in aliis ejuſdem Auguſti nummis GLORIA ROMANORVM etiam ita repraeſentatur, & ejuſcemodi ridicula figura abit ab ipſorum moribus. Unde & factum fuiſſe doleo, illuſtrem quemdam amicum meum, qui Bruxellis vivit, incidiſſe in jocularem errorem, & putaſſe hunc Nummum, fuiſſe ſignatum tempore nuptiarum Honorii, & Mariae filiae Stiliconis, & exhibere nobis Momum, vel Harlequinum, qui iis partes ſuas egerat: quod ut probet, advocat Claudiani Epithalamium, & Feſcennina carmina, in quibus tamen nihil tale reperio.

Illud itidem obſervo tecum, dona illa creviſſe lapſu temporis. Nam Gordiani nummus vincit priorem Veſpaſiani, & illos ambos tertius Trajani Decii: Honoriique, & Gallae Placidiae longe eos omnes ſuperant: quo pertinet, commode a Te recenſeri aureos ſingularum librarum, quos ab Imperatore Romano miſſos fuiſſe ad Childericum Regem, teſtis eſt Gregorius Turonenſis. Adeo ut inde pateat perquam evidenter, Romanos, peſſum eunte Imperio, emere debuiſſe magna pecuniae vi, & muneribus amicitiam finitimorum Regum; illudque certum indicium eſſe fractae Imperii potentiae.

Notaveram autem mihi Gordiani III. nummum

mum in Opere tuo praeclaro, poſtquam ſcripſeram literas illas ad Illuſtriſſimum Praeſulem Paſſioneum, & de eodem egi non abſque laude tua, quam certe prolixam mereris, in epiſtolis, quas ad tres vel quatuor inde amicos miſi, & inter eos ad Abbatem de Signy, qui mihi primus ſignificavit, illam, quae Paſſioneo deſtinata erat, a Te lectam fuiſſe; & a me petiit, ut cum eodem etiam communicare vellem ectypos Numiſmatum, quos tam eleganter mihi illuſtraſti. Feci id continuo, quia cum ſingulari voluptate ex eodem intellexi, editurum ſe propediem Nummos ſuos maximi moduli, & ſimul Catalogum multorum aliorum, qui in diverſis praeclaris gazophylaciis ſervantur: unde putat, ſeriem Caeſarum confici poſſe, aeque ac ex illis, qui minoris ſunt magnitudinis. Mittam propediem ad Virum novam averſae partis Nummi Honorii delineationem, ne forte ſimul edat ridiculam illam figuram.

Plurimum autem debeo Illuſtriſſimo Praeſuli Rivierae, quod litteras juſſu Pontificis Maximi reſeratas tecum communicaverit; rogoque, ut eundem amiciſſimis meis verbis perquam officioſe ſalutare velis: id quod eo alacrius facio, quia ſignificas, illum affinitate junctum fuiſſe Abbati Fabretto, cum quo mihi interceſſit Litterarium commercium, cujuſque ex-

exquiſitam eruditionem, & in enodandis veteribus monumentis ſagacitatem, ſaepe miratus fui, & nunc maxime miror.

Occupatione mea, & feſtinatione procul dubio factum eſt, quod nomen meum Epiſtolae illi non addiderim: & vel propterea etiam Rivierae plurimum debeo, quod Tibi eas tradiderit in manus tuas; id quod ſi factum non fuiſſet, non recepiſſem tam ſplendidas, & reconditae eruditionis literas, quibus certe me totum devinxiſti.

Utinam, cum in Orbe noſtro eſſes, Daventriam acceſſiſſes! inveniſſes enim Virum, qui te maximi facit, qui te hilari ac lubenti animo excepiſſet, & qui ſibi firmiter perſuadet, ſeſe ingentem fructum percepturum fuiſſe ex confabulatione tua; quia animum varia eruditione habes ſuccinctum, uti patet ex praeclaro Opere tuo DE CYCLIS, ex quo plurimum extendi eruditionis uſuram, unde & nunc de munere illo gratias, quas poſſum, maximas, ago & habeo.

Laetor autem ſummopere, tibi non diſplicere conjecturam meam, atque adeo pulchre adſtruere, pertinuiſſe numiſmata illa ad dona militaria, atque ex torquibus dependiſſe: & pereruditа profecto ſunt, quae ſupponis de iiſdem monumentis ad coronas pertinentibus,

quas praecipue adhibebant Graeci & Romani in Sacris, in Ludis, & Spectaculis, & Caeremoniis. Credis hujus explicationis certa indicia eſſe nummos perforatos, qui per anſulas conjungi, & ita in coronas commode diſponi poterant: id quod profecto pereleganter ex variis nummis, & quidem a Juliano Apoſtata ſignatis, probare pergis; quia ſcilicet, ut puto, tuae ratiocinationi inſiſtens, ſub eo vires reſumebat Paganiſmus. Sed tamen & ita vix affirmare auſim, pleraque numiſmata Veterum pertinuiſſe ad coronas; cum non perforatorum nummorum, numerus immenſum ſuperet perforatos: optaremque inde vehementer firmioribus argumentis rem hanc, pulchram profecto, evinci poſſe. Atque hac occaſione venit mihi in mentem, Orientis vel Graeciae mulieres, frontem, caput, & capillos exornare non ſolum veteribus, verum etiam recentioribus nummis perforatis, ut memini me legiſſe in variis Itinerariis.

Sed praecipue admiror ſagacitatem tuam, qua evincis, aurea illa numiſmata, quae Arnhemium prope ſunt inventa, miſſa fuiſſe ab Imperatoribus Romanis ad Reges, vel Principes Barbararum Nationum, qui Foederati, & Socii illorum erant; illudque ſollerter probas, ne quid jam de nummis ex anſulis & torquibus ſuſpenſis dicam,

cam, ex Gregorio Turonenſi, & Johanne Malala: quam in rem etiam ſervit Conſtantinus pendens in pectore icunculae palmaris aeneae, quae nobis exhibet Ducem vultu, & cultu Barbarum, de quo extraordinario munuſculo, me tibi plurimum obſtrictum eſſe, rogo habeas perſuaſiſſimum.

Atque ita ex omnibus hiſce concludis, Arnhemianam illam gazam pertinuiſſe ad Ducem aliquem praeſtantiorem inter auxiliares, militantem contra alios Barbaros. Recte etiam Avitum, & Aetium advocas, & de priore ita canit Sigonius Apollinaris:

*Legas qui veniam poſcant Alemanne furoris*
*Saxonis incurſus ceſſat, Chattumque paluſtri*
*Alligat Albis aqua* .........

Et de altera ſic loquitur Proſper a te allegatus: *Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci poſſidendam occuparant Aetii Comitis armis recepta*: & optime recenſes frequentes pugnas inter Gepidas, Marcomannos, Suevos, Quados, Herulos, & inter ſocios Romanorum Francos, & Gothos, qui una cum ipſis Barbaros conabantur a trajectu Rheni prohibere, & quae aliae pereruditae ratiocinationes in ultima Epiſtola tua ſequuntur.

Deſideras autem icones torquium, & armillarum: utinam tibi morem gerere poſſem!

male feriati operarii ſplendidas illas veteris aevi reliquias ſecuribus conſciſſas inter ſeſe diviſerunt, vendideruntque fabris aurariis, qui eaſdem continuo fuderunt, adeo ut nulla ſpes ſuperſit icones adipiſcendi; id quod equidem vehementer doleo: venitque mihi ea occaſione in mentem conſilium, & deſiderium Chamillarti Jeſuitae, qui vellet legem a Regibus, & Principibus ferri, ne unquam Numiſmata vetera, & aliae veteres reliquiae, funderentur.

Plurimum autem Tibi, Vir Illuſtriſſime, debebo, ſi ea velis in me eſſe benevolentia, ut ad me mittere velis ea, quae Clariſſimus Stochius promiſit; & conabor impetrare ectypum Nummi Conſtantiniani, quem Nicolaus Kalf amicus meus poſſidet. . . .

Nunc accipe, Vir Illuſtriſſime, ſi & haec te cura ſollicitat, quid rerum agam. Fateor, me Publico debendi reum eſſe, & rubore ſuffundi, quando mihi ob oculos verſantur promiſſa, quibus me ſaepe apud eos, qui me inter amicos ſuos admiſerunt, obſtrinxi. Non loquar de variis Diſſertationibus, quarum mihi idoneus numerus, ſed de Elephantis, & Gordianis, qui in multos nimis annos premuntur. Habet Reſpublica Literaria confitentem reum: ut tamen illa cognoſcat, me aliquid egiſſe, inſerui argumenta Elephantorum Tomo X. *Hiſtoriae Criticae*

*ticae Literariae*, quam Gallicam, & pereruditam componunt Maſſonii: & Gordiani occupabunt partem Tomi ſequentis. Idque eo conſilio feci, ut judicent Eruditi, an aliquid fama & laude dignum praeſtiterim: cujus rei ſi certior fio, in me nulla erit mora ipſa illa Opuſcula edendi. Quod ſi & Tu, Vir Illuſtriſſime, album calculum meis conatibus adjicias, vel mittere velis quae tua de illis ſit ſententia, ſummo me certe beneficio afficies, & approbatio, vel cenſura tua mihi erit πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Illud autem me male habet in primis, quod allectus inter membra Academiae Inſcriptionum, & Numiſmatum a Sereniſſimo, & Potentiſſimo Galliarum Rege LUDOVICO XIV. anno proxime elapſo, licet extraneus, & diverſae Religionis, nondum aliquid ediderim, quod ſummo illo honore, & Illuſtriſſimo Corpore dignum ſit; & omnino deſiderat Regis Maximi judicium, ejuſdemque benevolentia, necnon ſumma Collegarum meorum, (inter quos & Viros Eminentiſſimos numero doctrina), ut vel hanc, vel illam publici juris facerem Diſſertationem. Sed perpetua fere occupatio me abſolvere aggredientem illarum unam repellit, & ad inſtar Tribuni Romani intercedit. Prima, ut nonnullas recenſeam, probo, ſummae dignitatis Viros, atque adeo Auguſtos, & Caeſares, imo

imo forte Auguſtas,ſummos Magiſtratus geſſiſſe abſentes in Coloniis, Municipiis, & magnis Urbibus; id quod nonnulli male negant. Altera, ago de Deo Luno, occaſione Nummi inediti & perfectiſſimi Getae, cujus in averſa area ille cernitur cum omnibus Inſignibus. Et denique tertia diſſero de ſuperſtitione multorum veterum, & hodiernorum Gentilium,aliorumque Populorum, imo & gentis Chriſtianorum, qua mortuis apponebant, & ſepulchris inferebant epulas, vel cibum, & potum. Videorque, niſi mihi nimis placeo, varia adnotaſſe, illuſtraſſeque veteris aevi reliquias, quae acumen, & ſagacitatem aliorum fugerunt. His adjicere poſſem notas in Minucicum. Felicem, quarum mihi natum eſt haud ſpernendum ſpicilegium, poſt prolixas & eruditas aliorum meſſes. Vale, Vir Illuſtriſſime, & mihi virtutum tuarum Cultori egregio fave: Svvollae, qua in Urbe Comitiis ordinum Tranſiſalanae interſum, ipſis Kalendis Aprilibus 1716.

* * * *
* * *
* *
*

*Illu-*

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO PRAESVLI

# FRANCISCO BLANCHINO

VIRO DOCTISSIMO

ANTONIUS MARIA SALVINUS

S. P. D.

AMor eruditae Antiquitatis, & Caeleſtium curſuum contemplatio, pro quibus ad Kalendarium reſtituendum aptandis ſub CLEMENTE XI. Pont. Max. egregios labores ſuſcepiſti, Praeſul Illuſtriſſime & Reverendiſſime, faciunt, ut non ſolum univerſus Orbis, verum etiam Roma ipſa miretur te, moribus antiquis, & quaſi caeleſtem in terris Virum. Quare, quum primo, atque ſecundo Florentiae docto & ſuavi alloquio tuo frui licuit, me tibi perpetuo devinctum ſenſi, meque tibi, virtutibuſque tuis addictiſſimum ſemper fore profiteor. Comitate tua fretus, ſi quid novi apud vos exiſteret, quod publicam meam literarum Graecarum in Lyceo Florentino jam a pluribus annis exercitam profeſſionem juvaret, precatus ſum, ut ad me mittendum curares.

Votis meis abunde ſatisfeciſti, Doctiſſime Prae-

Praeſul, elegantiſſima Graeca Inſcriptione bis ſepulti Pueri ad me miſſa; ob eamque ſingularem beneficentiam gratias maximas etiam atque etiam ago. Nonnihil in eam commentatus ſum; quod omne Inſcriptioni heic adnexum tui juris facio, & acri tuo judicio libens ſubmitto:

ΦΛΩΡΟC ΚΑΙΚΙΛΙΟΥ CΤΑΚΤΗC Θ ΑΜΑ ΔΕΥΡ ΥΠΟΚΕΙΤΑΙ

ΕΞ ΑΛΛΟΥ ΤΥΜΒΟΥ ΔΕΥΤΕΡΑ ΚΛΑΙΟΜΕΝΟC.

(1)
ΕΞ ΕΤΕΩΝ ΩΡΗC ΟΛΙΓΟΝ ΔΕΜΑC ΑΛΛΑ ΤΕΛΗΟΝ.

(2)
ΟC ..... ΠΤΗΡCΙΝ ΛΕΙΠΩΝ ΗΛΙΚΙΗC ΕΛΕΟΝ.

(3)
.....Δ ΟΥΚ ΑΚΛΑΥΤΟΝ ΕΧΩΝ ΤΑΦΟΝ ΟΥΔΕ ΓΑΡ ΕΝΘΑ

ΦΕΙCΑΝΤΟ ΠΡΟΤΕΡΩΝ ΜΝΗCΑΜΕΝΟΙ ΔΑΚΡΥΩΝ.

(4)
..ΙΛΑΟ ΠΡΟΦΕΩΝ ΚΕΙΝΑΙ ΧΕΡΕC ΑΙ CΥΝΕΛΕΞΑΝ

ΤΗΝ ΟΛΙΓΗΝ CΠΟΔΙΗΝ ΟΥΚ ΟΛΙΓΗC ΟΔΥΝΗC.

Idem, minuſculis characteribus; &, ut legendum exiſtimo, cum ſpiritibus, & accentibus Recentiorum.

Φλῶρος Καικιλίου Στάκτης Θ' ἅμα δεῦρ' ὑποκειται

Ἐξ ἄλλου τύμβου δεύτερα κλαιόμενος.

Ἐξ

(1) Τέληον, pro τέλειον.
(2) Suppleo & lego, ΟC γονοΤΗΡCΙ ΛΙΠΩΝ.
(3) Suppleo, δεύτερα ΔΟΥΚ.
(4) Lego, ΔΕΙΛαιων τΡΟΦΕΩΝ.

ἑξ ἐτέων ὥρης ὀλίγον δέμας, ἀλλὰ τέλειον.
            (1)        (2)
Ὃς ΓΕΝΕτῆρσι λιπὼν ἡλικίης ἔλεον.
                  (3)
ΔΕΥΤΕΡΑ δ' οὐκ ἀκλαυτον ἔχον τάφον, οὐδὲ γὰρ ἔνθα
    (4)
Φείσαντο προτέρων μνησάμενοι δακρύων.

ΔΕΙΛΑΙΩΝ τροφέων κειναὶ χέρες, αἳ συνέλεξαν

Τὴν ὀλίγην σποδιὴν οὐκ ὀλίγης ὀδύνης.

Idem totidem verſibus Latinis utcumque expreſſum:

*Florus Caecilii & Stactes jacet hocce ſepulcro,*
*Ex alio latus, fletus & inde iterum.*
*Sexennis puer, at perfectus corpore parvo:*
*Luxit ob aetatem moeſtus uterque parens.*
*Non indefletus tumulus fuit hicce: prioris*
*Luctus, parſerunt haud lacrimis, memores*
*Nutrices, vacuaeque manus legere doloris*
*Haud pauci exiguum tam tenerum cinerem.*

M    AD-

(1) Γενετῆρσι dictum eadem ratione, ut Θεοῖς σωτῆρσι, Diis Conſervatoribus ... ΤΗΡΣΙΝ. νῦ paragocicum redundat in metro.

(2) Λιπών: ut metricae legi conſulatur, ſcribendum eſt λιπών.

(3) Ακλαυτον, dicitur, & ἄκλαυστον.

(4) Φείσαντο. Temperarunt a lacrimis.

Hodie etiam Hebraei, quando quis ab humo, in qua humatus fuit, alium in locum tranſfertur, eum diem πένθιμον, ſive luctuoſum & funeſtum agunt. Lacrimae, honor & praemium mortuorum, τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων: Homerus.

Ennius contra, in Epitaphio a ſe de ſe compoſito, honorem hunc lacrimarum recuſabat, quia ſe per gloriam aeternum vivere arbitrabatur:

*Nemo me lacrimis decoret, nec funera fletu*
*Faxit: cur? volito vivu' per ora virûm:*

Quod ego ad hunc modum in Graecum ſermonem vertebam:

Οὔτις ἐμὲ κλαυθμῷ, οὔτις δακρύοισι γεραίροι.
Ὥς ἀνδρῶν πέτομαι ζωὸς ἀνὰ στόματα.

Ad hanc Ennii ſententiam reſpexit Ovidius in fine Metamorphoſeon, ſi fides habenda eſt veteri Codici in membranis, in quo, ubi editi libri habent, *noſtrumque erit indelebile nomen*, legitur, *noſtrumque erit inde Flebile nomen*, cum *F* majoris moduli; quod Graece exprimeretur, ἐμὸν οὔνομα ἔσσετ' ἄκλαυτον.

Eclipſeos Solaris hiſtoriam, quo munere me perbenigne afficere voluiſti, non ſolum ob exactam Aſtronomicam deſcriptionem ſuſpexi, verum etiam multo maxime propter elegantiam,

tiam, amoenitatemque ingenii tuam, cum ſumma eruditione conjunctam: quippe qui Sideralem ſcientiam, ad rationem temporum enodandam, & ad Hiſtoriae lucem afferendam, ab hiſce aeternis ac Caeleſtibus notis ſapienter accommodas, & fructuoſe. Vale Saeculi noſtri decus, Praeſes Illuſtriſſime ac Reverendiſſime. Datum Florentiae VII. Idus Quinctilis, Anno Salutis CIↃ. IↃCC. XXIIII.

EX ITINERARIO PARMENSI
MANUSCRIPTO

# FRANCISCI BLANCHINI
## PRAESULIS.

*Feria V. Die 24. Octobris* 1720.

IN dactylotheca Sereniſſimi Ducis Parmenſis illuſtre prae ceteris mihi viſum eſt Vas ex achate verſicolori, miro artificio tam in interna, quam in externa ſuperficie inſculptum ab antiquis Romanorum, ſeu Graecorum Magiſtris, magnitudinis eximiae, & ferme illaeſum ab injurijs aetatis tam diuturnae; ſi foramen excipias, data ( ut videtur ) opera in fundo excavatum a barbaro aliquo Gemmae tam illuſtris immerito poſſeſſore. Figura Vaſis, eſt in ſectione horizontali rotunda, & in perpendiculari eſt orbicularis, ſuperne inflexa, ut labrum efformet, quale poſt pag. 96. aerea Figura demonſtrat, ſignata literis A B C D.

Diameter interna hujus gemmae A B, ubi ſunt inſculptae anaglyptico opere figurae ſeptem in fundo Vaſis interno A B, aequat ſemipedem Regium Pariſinum. Diameter externa la-

labri ſuperioris C D,aequat uncias ejuſdem pedis ferme novem. Septem figurae, ornatum fundi interioris A B conſtituentes, exhibent ſenem ſedentem, qui dextra balliſtam tenet, adſtante juvene praeferente cornucopiam. In ſublimi, duo Viri per aerem feruntur, non ſecus ac in Apotheoſi Gentis Juliae in Achate Sanctae Capellae Pariſiis aſſervata, & a Triſtano deſcripta Tomo I. Unus ex his, velo circa caput in arcum ſinuato, nudus velificat; quemadmodum Diana, & Aurora in ſublime elatae, pingi, & ſculpi ſolent a Veteribus: alter vero itidem nudus, cum eo per aerem vectus, turbinatam Tritonum cochleam inflat. Tres Nymphae ſedentes, ſenem circumſtant: & Sphynx eiſdem proxima, decumbit more conſueto. Caelatura, eſt artis eximiae. In externa parte fundi Vaſis, inſculptum eſt opere pariter anaglypho Meduſae caput, tam affabre ac diligenter caelatum, ut crines numerari poſſint, fluctuantes inter ſerpentes Aegidis. Integerrimum eſt Vas, cui nullam labri partem aetas ademit. Deſideratur tantummodo in figuris per aerem libratis pes unicus, & exigua portio gemmae nullius figurae lineamentis ornata, quam maleferiatus ille abſtulit, cui placuit foramine deformare opus, tot Saeculis inviolatum. Suppleri tamen facile poſſet a perito Artifice, cui potior cura

in

in occludendo foramine adhibenda eſſet, ut externa in parte Vaſis imitaretur colorem, ſpectandum in Meduſae capitis portione, per ſummam injuriam inter perforandum imminuta.

*Franciſcus Blanchinus Veronenſis Franciſci Blanchini Praeſulis Fratris filius Lectori.*

Iconiſmus primus, oſtendit Vas ex Achate ſolido variegato, in utraque ſuperficie extima & intima affabrè inciſum a peritiſſimo inter veteres gemmarum Scalptore, fortaſſe ſuppare Alexandri Magni, cujus Apotheoſim videtur referre interior caelatura; ut ſequens amantiſſimi Patrui mei Expoſitio demonſtrat. Servatur pretioſum hocCimelium Parmae in Muſeo felicis recordationis SereniſſimiDucisAntonii I.ſub cujus auſpiciis opera fratris mei anno 1730 in duabus æreis Figuris primum lucem adſpexit.

*Figura I.*

Exhibet caput Meduſae in extimo Vaſis fundo caelatum, nulla aetatis injuria affectum, ſed tantummodo a maleferiato quopiam & barbaro hujuſmodi elegantiarum imperito poſſeſſore olim in centro perforatum, ad metallicum aliquod fulcrum inſerendum, ut inter potiora vaſa adhiberetur.

Ico-

Iconiſmus ſecundus, refert ſectionem verticalem ejuſdem vaſis, ut ejus proportio intelligatur.

*Figura II.*

Exhibet ejuſdem vaſis fundum interiorem inſculptum Apotheoſi Magni Alexandri. Hujus enim Principis lineamenta exacte refert figura nuda in Caelum velificans Heroum more, quam comitatur Triton ſubſequens, & buccinam inflans, indicium vocalis hiſtoriae, uti ex Varrone adnotavit Gellius. Alia figura nuda, Virum Alexandro ſimilem, utpote ex eodem Patre Philippo Rege progenitum, Aridaeum prodit; qui manu dextera balliſtae innixus, velificantem in Caelum reſpicit fratrem. Ceterae figurae indicant Regiones a Magno Macedone ſubactas, ubi Divinos honores ex Ethnica ſuperſtitione eſt conſequutus. Senex ſeminudus & altior, cum adſidentibus exadverſo Nymphis, exprimit Euphratem, cum Tigri, Cydno, aliiſque in eum influentibus Fluviis, qui propterea feminili ſpecie exprimuntur. Una ex Nymphis poculum admovens ori, videtur indicare Herculeum illum fatalem ſcyphum, cujus ex potu frigidiore Alexander morbum, & mortem contraxit (a). Aegyptus quoque, cum ſua Sphyn-

(a) Rem narrat in libro, de Alexandri & Hephaeſtionis obitu & ſepultura, Ephippus Olynthius apud Athenaeum lib. 10. cap. 11., cum quo conferendi etiam Diodorus, Plutarchus, & Seneca in Epiſtola 83.

Sphynge , inter conteſtes Apotheoſeos adhibetur ; cum inde profectus ad Hammonis Oraculum,aſſentatione SacerdotumDivinitatis titulum reportaverit , ut Curtius , aliique Hiſtorici prodiderunt.

Utramque Figuram hujus Vaſis quantivis praetii, juſſu ac impenſa amantiſſimi Patrui mei, Roccus Pozzi , Parmenſis Itineris data opera ſocius adlectus , ( utpote chalcographus magni nominis ) ex gypſeo typo ſuper archetypum effictо delineavit , atque in duabus Tabulis ex aere incidit anno 1721., quas Joſeph Blanchinus Frater meus anno 1730 ( defuncto communi Patruo , cujus ipſe Aeres fuit ) ſub auſpiciis Sereniſſimi Antonii I. tunc Parmae Ducis in lucem edidit , una cum ſequenti ejuſdem Patrui Expoſitione. Clariſſimus Vir Marchio Scipio Maffejus rei antiquariae cultor egregius (ſuppreſſo tamen nomine Civis ſui) eaſdem Tabulas Blanchinianas iterum evulgavit an. 1738, Tomo 2. Art. 9. pag. 339. *Obſervationum Litterariarum*, Veronae typis Vallarſianis.

* * * *
* * *
* *
*

*De*

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

*De Vaſe antiqui operis, ex Achate ſolido variegato, mira elegantia ſculpto, & aſſervato Parmae inter Cimelia lectiora Sereniſſimorum Ducum Farneſiorum*

FRANCISCI BLANCHINI PRAESULIS JUDICIUM.

In fundo interiori hujus vaſis, ſeu paterae, videtur Artifex repraeſentaſſe Apotheoſim Alexandri Magni, quem ex lineamentis capitis ſatis perſpectum reddit Figura nuda, Heroico more ad Caelum velificans; illam conſequente Buccinatore; quales in Templo Saturni Tritonas ſculpſit Antiquitas, teſte Macrobio, indicans unde vocalis eſſet Hiſtoria. Aridaeus Alexandri Frater, & in Regno Macedonico Succeſſor, ad aſtra tendentem reſpicit; dextra Baliſtam tenens, ſymbolum ſimul, atque inſtrumentum prolati citiſſime Imperii per Aſiam, ſecus Euphratem Fluvium, ibidem expreſſum, una cum Nymphis aliorum Fluminum in eum confluentium, unde ad Divos profectum ferebant; necnon aſſidente Aegypto cum ſua Sphynge; quaſi conteſtantibus univerſis illius divinitatis praeconia, quae Sacerdotes per aſſentationem, tanquam ex oraculo Jovis Hammonis, etiam viventi detulerant, ut apud Juſtinum, Curtium, alioſque Hiſtoricos legimus.

N DIS-

*nans cum Diſcipulis ſuis,poſtq uam ſui Corporis, & Sanguinis Sacramenta patefecit,ad Montem Oliveti, ſicut Euangelia teſtantur, progreſſus, ibique detentus eſt a Judaeis, tradente Diſcipulo. Dehinc ſexta feria ſubſequente, ideſt VII. Kal. Aprilis, crucifixus eſt, & ſepultus; tertia die, hoc eſt V. Kal. Aprilis, Dominica, reſurrexit a mortuis.*

In hanc ſententiam, antiquiſſimis Patrum communem, ut infra oſtendemus, iverunt paſſim Eccleſiae Occidentales, & Orientales tribus prioribus a Chriſto Saeculis, antequam Euſebius Caeſarienſis Epiſcopus annum Dominicae Paſſionis a Conſulatu Geminorum removeret:cui Epiphanius (*Haereſi* 51.),aliique poſtea adhaeſere, ut ait Pagius num.3.ad annum 5525, Chriſti 32. Vereor ut Euſebio anſam praebuerit recedendi a recepta Chronologia, pariante duos Geminos Conſules cum anno Paſſionis Domini, alius Epiſcopus Caeſarienſis, qui eum praeceſſerat annis circiter centum, nempe Theophilus ille, qui juſſu Victoris Papae, Concilium Palaeſtinae coegit: de Paſchate, ſcilicet de anno Paſſionis,nihil decernere,de die tamen aliter ſenſiſſe viſus eſt, ac ea tempeſtate ſentiebant pleraeque Eccleſiae. Nam diem VIII.Kal. Aprilis, quem Tertullianus jam tum admiſerat cum Romanis Archivis, & Occidentalium Ec-

Eccleſiarum, rata ferme ſententia Chiſti Paſſione conſecratum, primus aſſeruit Dominica Reſurrectione illuſtratum; ſi fidere velimus Epiſtolae Philippi, unde Acta ejuſdem Concilii hauſiſſe videtur Beda; quam deinde ex veteribus membranis in lucem protulit eximius Chronologus Bucherius, aſſerens indigam medicae manus non uno in loco.

In illa igitur Epiſtola apud Bucherium, totidem fere verbis ac apud Bedam, Theophilus Caeſarienſis tres dies praemittendos ſuadet antiquo termino Paſchali, quo triduo maturius crederet Paſſionem Domini contigiſſe: *Paſſus namque eſt Dominus*, inquit, *ab undecimo Kal. Aprilis, qua nocte a Juda eſt traditus, & ad octavum Kalendas reſurrexit*.

Dolendum equidem reor, genuina illius Concilii Acta, Graeco, vel Syriaco Idiomate non ſupereſſe, potiuſquam Epiſtolam Latinam Philippi latine productam etiam a Ven. Beda. Suſpicor enim, Theophilum idcirco arbitratum, retrahendam eſſe per triduum Paſſionem Domini, quod totidem ferme dierum ſpatio, in anno Juliano ab Antiochenis recepto, Aequinoctium praevertere jam ſentiret; ut dies Aequinoctii, quae Caeſaris, & Auguſti aetate erat VIII. Kal. Aprilis, afficeret jam diem XI. Kalendas, annis potiſſimum Biſſextilibus, qualis fuit

Aerae

Aerae Vulgaris Chriſti 28, ad quem Paſſionem Domini, & duos Geminos Conſules referendos infra oſtendemus cum ipſo Victorio.

Quod autem Theophilus de triduo praevertendo dicebat, reſpiciens terminum Aequinoctii Verni, ad caput anni Juliani tantundem regreſſum, id aliter aptarunt poſteri nuncupationi dierum uſurpatae in Syria, & Palaeſtina a Romanis, quo anno Chriſtus Dominus mortem obibat, & a mortuis redivivus ſurgebat. Detegeremus evidentius, ut arbitror, hanc diverſam interpretationem ſententiae Theophili, ſi Acta genuina Concilii, potius quam Epiſtola Philippi, ſupereſſent: quin etiam ex ipſa tranſpirat nonnihil indicii; ſatis oſtendens, affirmationem Theophili, cadere non poſſe in appellationem diei popularis anni Juliani, per Orbem Romanum numerati moriente Domino. Nam annis Aerae Vulgaris *28. 29. 30. 31. 32. 33.* & *34.*, quorum aliquem certe ſentiebat Theophilus Chriſti Domini Morti conſecratum; Coena Paſchalis legitima cadere non potuit in diem anni Romani, quae tum diceretur XI. Kal. Aprilis. Neque enim ante Aequinoctium Vernum fas erat Judaeis Paſcha celebrare. Aequinoctii autem Verni citimus terminus aetate Chriſti in anno Romano erat IX. Kal. Aprilis. Cum igitur nunquam cadere poſſet aetate Chriſti dies

Pa-

Paſchalis legitimus Judaeorum in diem x, neque xi. Kal. Aprilis; neceſſario conſequitur, neque diem Coenae, & Paſſionis initium, ad eamdem diem xi. Kal. Aprilis potuiſſe referri. Ceterum comparatio dierum Kalendarii Juliani, cum diebus anni Macedonici, populariter, & diverſimode uſurpati apud Caeſarienſes (ut oſtendit Eminentiſſimus Noriſius), non erat adeo expedita poſt annos circiter 168, quot effluxerant a Dominica Paſſione, ad Concilium Theophili; ut tridui confuſio deprehendi illico poſſet a Patribus; quorum ſententia non erat, Epocham Chriſtianam conſtituere, ſed Paſchatis regulas ordinare. De vario Anni Civilis exordio apud Caeſarienſes, & vicinos Populos, ita ſcribit Doctiſſimus Cardinalis *Diſſert. prima de anno Macedonum Cap. 3.* (haec habet Titulus) *Syri a Macedonibus victi, annum, ac nomina menſium Macedonica admiſerunt. Annus in Syria ab Autumno, non tamen ubique eadem die inchoatus &c.* In contextu autem Capitis preſſius comparat annum Caeſarienſium cum proximis Civitatibus; *Et quidem Syros*, ait, *pro arbitrio initium Hyperberetaei* (poſtremi ſcilicet menſis in anno Macedonico) *in Octobri fixiſſe probat varietas dierum, a quibus variae in Syria Gentes eumdem menſem inibant. Nam Antiocheni Hyperberetaeum Kalendis Octobris auſpi-*

*auſpicabantur, uti patet ex Evagrio; itemque Caeſarienſes in Palaeſtina, ex Euſebio paſſim in Libro de Martyribus Palaeſtinis. At Tyrii Noemeniam ſive primam Hyperberetaei a die* 19. *Octob. deducebant, cujus initium Gazenſes a* 23. *Sept. capiebant; omneſque menſes habebant Tricenarios: at alii Syri a ſequenti die* 24. *Sept. Hyperberetaeum inchoabant, ita ut menſes aliquos ſervarent tricenarios, alios unius & triginta dierum:* deinde evidenter oſtendit, obſcuram ita fuiſſe numerationem S. Epiphanii, Viris in re Chronologica eximiis, Petavio ſcilicet, & Scaligero, ut admirationem utriuſque comperiat deſcendere ex ignorata ratione multiplicis exordii annorum Civilium apud Syros recepti. *Neuter*, inquit ibidem laudatus Noriſius, *varia initia annorum apud Syromacedones ab Epiphanio indicata intellexit. Nam, quemadmodum Macedones Aſiatici annum a die* 24. *Septembris inibant, ita alii Macedones Syri ab eadem die anni initium capiebant: hoc tamen inter utroſque diſcrimine, quod Aſiatici Hyperberetaeum, illi vero Syri Dium primum Anni menſem habebant; ut de Gazenſibus demonſtrabo: quamvis hi menſem Dium a die* 28. *Octobris inirent:* & paulo inferius ita concludit: *Hic autem alter Epiphanii explicandi modus probabilior videtur, quod Syromacedones annum ab Octobri id temporis auſpi-*

*auſpicabantur*; *licet non eadem die Juliani Octobris eidem initium concorditer darent*, *ut in ſuo inferius loco mihi demonſtrabitur*. His ita ſe habentibus, quis, rogo, Epiſcoporum ex univerſa Syria a Theophilo vocatorum ad Synodum Palaeſtinae variis ex Civitatibus, quis, inquam, reclamare potuiſſet contra numerationem tridui maturius attributi Dominicae Paſſioni a Theophilo; ſi ea numeratio tam varie aptari poterat pro multiplici conſuetudine Civitatum; neque Epiſcopi conſtituere quidquam decreverant, tanquam Hiſtorici, vel Chronologi de vera die Paſſionis, & Reſurrectionis Dominicae in anno Juliano duobus Geminis Conſulibus olim ſpectatae; ſed tantummodo intendebant, tanquam Judices delegati, figere impoſterum terminos Feſti Paſchalis?

Quin etiam ex hac ipſa varietate Anni Civilis inchoandi apud complures Syriae Civitates (quarum Epiſcopi ad Concilium Caeſareae convenerant) arguere licet Theophilum; etiamſi ſupponatur, voluiſſe Hiſtorica & Chronologica lege indicare certam diem anni popularis, quo Chriſtus obiit; ut inde eliceret, Paſchalem terminum non aliter debuiſſe enunciare, quam referendo diem Paſſionis ad Paſchalem terminum Aequinoctii; prout aetate ſua pariabatur cum diebus anni Juliani: ita ut, ſi VIII. Kalend. Apri-

Aprilis duobus Geminis Conſulibus paſſum Dominum dicatur cum Tertulliano, aliiſque Scriptoribus aetatis ſuae, eaque dies tunc fuerat ſedes Aequinoctii verni moriente Domino; debuit Theophilus annunciare Patribus eandem Sedem diei Aequinoctialis aetate ſua regreſſam in anteriora per biduum ad caput anni Juliani, aut circiter per triduum, ſi compararet cum Aequinoctio a Julio Caeſare conſignato in conſtitutione ſui Kalendarii. Cum enim idcirco Epiſcopi conveniſſent, ut terminos Paſchales communiori conſenſu figerent, quos ad Aequinoctii, & Lunae XIV. diem nemo neſcit eſſe efigendos, mens erat includere intra terminum Paſchalem eos anni dies, qui, utpote ab Aequinoctio proximi, utiles erant exercendo myſterio. Adverterat inſimul Theophilus rei Aſtronomicae peritus, Aequinoctium Vernum aetate Chriſti incidere conſueviſſe in diem VIII. Kal. April. Juliani, quod rurſus aetate ſua noverat biduo regreſſum in anteriora ad caput anni Juliani, cum Aſtronomorum celeberrimus Ptolemaeus ipſa Theophili aetate obſervaſſet in proxima Aegypto complura Aequinoctia, quae adhuc leguntur in Almageſto, & normae ſunt Chronologis & Aſtronomis univerſis, ſenſimque obrepere jam ſentiebat ad tertiam diem praevertendam in Kalendario Juliano. Exemplo autem Chriſti Do-

O mini,

mini, qui VIII. Kal. Aprilis Juliani (tunc die Aequinoctiali, vel proxima ab Aequinoctio) celebraverat Paſcha Paſſionis, contendebat includendam eſſe aetate ſua, & proxime conſecuturis temporibus, ſimilem Aequinoctii diem, quae non amplius dicenda erat VIII. Kal., ſed XI. Kalendas Aprilis, retracta ſcilicet ſede Aequinoctii per triduum in anno Juliano. Ut igitur Theophilus id Patribus enunciaret, prudenter uſus eſt compendio verborum, paſſum aſſerens Dominum XI. Kal. Aprilis, hoc eſt die anni Juliani ita proxima cardini Aequinoctiali, ut erat eidem cardini proxima aetate ſua dies XI. Kal. Aprilis anni Juliani: ſi haec eadem comparatio diei Aequinoctialis cum die quapiam anni popularis Syrorum facienda erat a Theophilo, utendum ei fuerat longis admodum intricatiſque calculis Chronologicis: nam debuiſſet Aequinoctii diem indicare in anno civili Caeſarienſium Syriorum, Gazenſium, aliarumque Civitatum, quae diverſos anni Juliani dies aſſumebant, ad varie inchoandum annum proprium Macedonicum, quo utebantur earundem Cives, & Epiſcopi ad Concilium vocati. Semel autem indicata die Aequinoctiali anni Juliani, aetate ſua obſervata diligentiſſime apud Alexandrinos a Ptolemaeo, & ſuppoſita ſimili die anni Solaris caeleſtis, qua Chriſtus Dominus Paſcha cele-

celebrare voluit (fuit autem, ex conſenſu Patrum, & Eccleſiarum Antiquiorum, VIII. Kal. Aprilis), recte inferebat includendos eſſe intra terminum Paſchalem dies aetate ſua numeratos ab XI. Kal. Aprilis in Kal. Juliano, utpote legitimas a Chriſto Domino declaratos, ad quartam decimam Menſis Primi proxime poſt Aequinoctium vernum continendam cum Paſchatis termino. Ea mihi videtur mens Theophili, quando affirmat, Chriſtum paſſum die XI. Kal. Aprilis: quae affirmatio nihil repugnat, imo mirifice conſentit cum dictis Tertulliani, & aliorum Patrum ejus aetatis, tradentium Paſſionem Domini cum die VIII. Kal. Aprilis, & annis LXX. poſt Caeſarem ab Aequinoctii ſede nondum elongata per diem ſolidam.

Non ita comparaverunt dies anni popularis Syromacedonum cum die Aequinoctiali Juliana diverſis aetatibus varia, Interpretes alii. Scriptores Actorum Pilati indicati a S. Epiphanio (*in Haereſi* 50.), aliique nonnulli, quorum propterea diſſenſus in die Paſſionis Dominicae deſignanda palmaris fuit, & forſitan a Theophili ſententia perperam intellecta originem duxit, mirantur plerique, & merito, in aſſignanda die anni Juliani, qua Paſſio Chriſti contigerat ſub Conſulatu duorum Geminorum, vel aliquo ex proximis, Acta Pilati tam varia fuiſſe aetate

S.Epiphanii, ut in aliquibus exemplaribus Paſſionem Domini conſignarent VIII. Kal. Aprilis, in aliis vero XV. Kal.; cum tamen ipſe neutris fideret, ſed ad XIII. Kal. paſſum crederet Redemptorem. Verba Epiphanii ſunt in Haereſi Teſſaradec. 50. §. 12. *Ex actis Pilati* (ait) *accuratam ſe hujus inſtituti rationem didiciſſe gloriantur; in quibus ſcriptum eſt, VIII. Kal. Apr. Salvatorem eſſe paſſum. Nos Actorum ejuſmodi Pilati exemplaria quedam invenimus, quae ad XV. Kal. Apr. Paſſionem Domini contigiſſe narrabant. Verum certo illud, & ex rei veritate comperimus, ad XIII. Kalend. Aprilis paſſum eſſe Salvatorem. Alii ad X. Kalend. Aprilis rejiciunt: ſed iſti a propoſito excederunt.* Aeque mirandum eſt, quod S. Epiphanius certo comperiſſe ſibi viſus, die XIII. Kalend. Aprilis paſſum eſſe Salvatorem, documenta hujus certitudinis non protulerit: cum annis ducentis ante S. Epiphanium Tertullianus, qui provocabat ad Archiva Romana, & Acta Tiberii, quando de geſtis Domini ſermo erat, imo Eccleſiae paſſim, & cum his deinde S. Hieronymus in Palaeſtina, S. Cyrillus Alexandriae, S. Jo: Chryſoſtomus Antiochiae, S. Auguſtinus Carthagine, Romae autem S. Hippolytus Tertulliano aequalis conſignaſſet VIII. Kal. Aprilis diem Paſſionis Chriſti duobus Geminis Coſs. Verum notavere pridem Chro-

Chronologi celeberrimi Petavius, Bucherius, Scaliger, Keplerus, aliique, S. Epiphanii textum, ſive librariorum, ſive Auctoris properantia, ut Bucherius ait, emendationem potius, quam interpretationem requirere: monet proinde Bucherius, ſeriem Conſulum ab eo digeſtam eſſe vitioſam; &, poſt quam oſtendit loqui Epiphanium de anno Vulgaris Aerae XXXI quando dies Paſſionis Domini enumerat, concludit, *Aut igitur eum in Julianis diebus, aut in Feriis hallucinari neceſſum eſt: quis autem non videat, in Feriis iſtius anni tam certis, & a Scriptura quoque tam clare expreſſis minus falli potuiſſe, aut voluiſſe, quam in diebus Julianis, a nemine praeterea ſic (non certe a Scriptura) deſignatis, & ex neſcio qua tridui quatriduive ſurſum promovendi apprehenſione confuſis?* Et paullo poſt eadem de Epiphanio ſenſiſſe Keplerum, & Petavium jure commemorat, dum ait: *Cur autem Epiphanius dies hoſce Julianos triduo promoverit, Keplerus, & Petavius cauſam fuiſſe putant, quod videret, Aequinoctium Chriſti aetate VIII. Kal. Aprilis affixum; ab Anatolio autem, & ſimilibus, ad XI. Kalendas translatum.* Conſtat itaque trium Chronologorum in eo ſtudio principum ſententia, S. Epiphanium minus attente, & nimis properanter comparaſſe dies anni Juliani popularis, patiente Domino a Romanis enu-

enumeratos, cum diebus anni vel Aegyptii, vel Macedonici, varie apud Ciprios, Aſianos, Syros, Aegyptios uſurpati; quandoquidem ſtatuit Paſſionem XIII. Kal. Apr.: conſtatque eundem Patrem, neſcio qua tridui, quatriduive Juliani furſum promovendi apprehenſione, ſurſum promoviſſem in menſe Martio confuſam Epocham noſtrae Salutis. Eidem vero cauſae tribuendam duxerim diſſenſionem amanuenſium, vel Interpretum Actorum Pilati in exemplaribus ab Epiphanio ſpectatis, dum ſcilicet eorum ſinguli menſium ſuorum dies ad Kalend. Julianum perperam redigunt; non attendentes anni Macedonici varia principia, quae cum Cardinali Noriſio jam recenſuimus in Aſia, & Syria; & confundentes veram menſuram anni Solaris ex praeceſſione Aequinoctiorum in anno Civili, cum ipſa populari ordinatione exhibente Aequinoctia ad Chriſti aetatem aptata in Caeſaris Kalendario.

Ut igitur non obſtat ſententiae Victorii enunciatio Theophili in Concilio Caeſarienſi, quae, ex uſu apud Provinciales Epiſcopos recepto ſi intelligatur, nihil repugnare videtur Victorianae, & noſtrae Chronologiae, conſignanti Paſſionem Domini VIII. Kalend. Aprilis duobus Geminis Coſs. cum antiquiſſimis Patribus, & Eccleſiis; ita Euſebii Caeſarienſis receſſio

ceſſio ab Anno & Die Paſſionis apud alios vetuſtiores rato, & confirmato a doctiſſimis Patribus Euſebii aetatem ſubſequutis, Hieronymo ſcilicet, Cyrillo, Joanne Chryſoſtomo, & Auguſtino, minus impedire nos debet a ſectandis Antiquiorum veſtigiis, praeſertim ubi confirmata eſſe deprehendatur ſententia Hyppoliti, Tertulliani, & Victorii, imo & Eccleſiarum potiorum Orientis, & Occidentis, ſolidiori pondere rationum, quas ſubinde afferemus. Heic tantum mens fuit occurrere praejudicio diſſenſus, qui, quoniam nunc videtur apertus in Theophilo & in Epiphanio, judicatur a peritiſſimis Chronologorum eſſe emendandus, aut certe non attendendus.

Sublato igitur metu diſcrepandi a communi ſententia Patrum ſecundi Saeculi, ſtatuentem annum, & diem Paſſionis Dominicae VIII. Kalendas Aprilis (cui Theophilus non adverſatur) duobus Geminis Coſs., producenda jam ſunt teſtimonia, unde illa deducitur, & argumenta, quibus fulcitur, & quibus oſtenditur, conciliari recte a Victorio cum anno 28. Aerae Chriſti communis: ante alios autem Patres, audiendi ſunt qui Chronologica ſtudia diligentius pertractarunt altero Chriſti Saeculo, & qui monumenta Chriſto proximiora & genuina conſulere potuerunt.

Agmen

Agmen ducat S. Hyppolitus Epiſcopus & Martyr in ſuo Cyclo Paſchali; quem Autographum, in antiqua marmorea cathedra ejus Simulacrum ſuſtinente, Bibliotheca Vaticana cuſtodit dono Marcelli Card. Cervini S. R. E. primum Bibliothecarii, deinde Pontificis Maximi, qui, ex agro Verano prope Eccleſiam & Coemeterium S. Laurentii effoſſum, tanquam Chriſtianae Chronologiae praeſtantiſſimum monumentum, tam celebri loco inferendum eſſe duxit. In eo marmore, ubi Auctor diſerte profitetur conſignatam a ſe fuiſſe Paſchalis Lunae diem quartamdecimam juxta ſeriem temporum anteactorum per annos ſingulos, in poſtrema cellula ſecundae Enneadecaterides conſignatur Paſſio Chriſti, & Paſchalis Lunae dies xiv. ejus Anni.

Hyppolitus Epiſcopus & Martyr, qui hanc Chronologiam ſequebatur, in Urbis Romae luce verſatatus eſt; & in Portu Romano martyrium paſſus ſub eodem Severo Alexandro, quo imperante Cyclum ſuum ordinabat. Romae autem per illam aetatem, quae eadem fuit ac Tertulliani, Archiva publica patebant, ( & Bibliothecae, in quibus Acta Principum, & nominatim Tiberii, ut infra oſtendam, ſub quo Chriſtus Dominus mortem obire voluit), Senatus Conſulta,& Magiſtratuum Edicta, ac Caeſarum

rum Ephemerides, & Commentarii aſſervabantur in libris linteis, & elephantinis. Ex quo enim Auguſtus Bibliothecas extruxit Graecas, & Latinas, Apollinarem in Palatio, & Octaviae Sororis nomine in ejus porticu, & moriens tria illa Volumina conſignavit, a Veſtalibus in Senatu perlata cum Teſtamento, quorum in ſecundo indicem rerum a ſe geſtarum, quem vellet incidi in aeneis Tabulis, ante Mauſoleum ſtatuendis, & in tertio Breviarium totius Imperii complexus fuerat, quantum militum ſub ſignis ubique eſſet, quantum pecuniae in Aerario, & Fiſcis, & Vectigalium reſiduis, ut ait Suetonius *in Auguſto* cap. ultimo: *Scrinia Principum, & Archiva tam publica, quam privata abundabant hujuſmodi monimentis, unde ſuarum Hiſtoriarum materiem acciperent Scriptores ſequentium aetatum, & Jurium ſuorum documenta colligerent tum ipſi Principes, & Magiſtratus, tum Ordines, Collegia, Familiae, & Cives ſinguli ad illa perluſtranda admiſſi*. In domo etiam Tiberiana, nempe in ipſo Palatio, ea parte, quae Viam Sacram ſpectat, Bibliotheca fuit ab eodem Tiberio addita. Unde fortaſſis identidem extrahebat Acta Senatus, quae legere conſuevit etiam in ſeceſſu Capraearum, ut ſcribit Suet. c. 73. in Tiberio. Inde autem libros cum acceperit Aulus Gellius (*Noctium Atticarum* lib. 13. c. 18.), qui aeta-

te Antonini Pii floruit; & accitum cum noverimus ApolloniumChalcidenſem ab eodem Imperatore Antonino Pio, datum Praeceptorem M. Aurelio, manifeſtum eſt pertigiſſe ad Imperium Antoninorum. Idem Gellius lib.xi.cap.17. ſcribit: *in Bibliotheca Templi Trajani contineri Acta Praetorum*. Ex Publio autem Victore cognoſcimus, Bibliothecam Ulpiam, a Trajano conditore ita nominatam, ad finem IV. Saeculi Aerae Chriſti fuiſſe praeſervatam. Ipſe enim ſcribens ſub Imperatoribus Valentiniano & Valente, tum temporis extitiſſe teſtatur Romae Bibliothecas undetriginta publicas, & ex his praecipuas duas Palatinam, & Ulpiam. In Palatina igitur ſive Tiberiana,& Auguſtea aſſervatos fuiſſe Commentarios Caeſarum,& praecipue Geſta Tiberii colligimus ex Domitiano; qui, ut ait aequalis ejus aetatis Suetonius cap.20., *praeter Commentarios, & Acta Tiberii nihil lectitabat*: conſtructa deinde Ulpia Bibliotheca a Trajano, novimus ex Vopiſco in Tacito, etiam III. Chriſti Saeculo viguiſſe ſtudiumRomanorum Principum in authographis Senatus Conſultis apud eandem deponendis, & in exemplaribus librorum ad Tiberii Principatum ſpectantibus ibi quoque perſaepe deſcribendis. *Habet*, inquit, *in Bibliotheca Ulpia in Armario ſexto librum elephantiorum, in quo hoc S.C. perſcriptum eſt*,

*eſt, cui Tacitus Imperator ipſe manu ſua ſubſcripſit*. Nam diu haec S. C. quae ad Principes pertinebant, in libris Elephantinis ſcribebantur: & eadem pag. ſubdit de eodem Imperatore: *Cor. Tacitum Scriptorem Hiſtoriae Auguſtae, quod parentem ſuum eundem diceret, in omnibus Bibliothecis collocari juſſit; & ne neglectorum incuria deperiret, librum per annos ſingulos decies ſcribi publicitus juſſit, & in Bibliothecis poni*. Haec a me fuſius relata ſunt de Bibliothecarum, & Archivorum copia in Urbe, tribus praeſertim aut quatuor prioribus Aerae Chriſtianae Saeculis, & de Geſtis Principum, expreſſius vero de Actis Tiberii ibidem aſſerentis, ut conſtet, nullibi terrarum potuiſſe altero Chriſti Saeculo diligentius inquiri de Actis Proconſularibus in Syria geſtis ſub Tiberio, atque adeo de Geſtis Pilati Chriſto Domino praedicante atque Paſſionem ſubeunte, quam Romae: quo ſcilicet ad ſe tranſmitti ex Judaea jam tunc curaverat Tiberius, cum retulit ſcilicet ad Senatum de Servatore Noſtro inter Deos referendo, uti memorat Tertullianus *Adverſus Gentes* cap. 5. *Tiberius ergo*, ait, *cujus tempore nomen Chriſtianum in Saeculum introivit, annuntiatum ſibi ex Syria Palaeſtina, quae illic veritatem ipſius Divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum, cum praerogativa ſuffragii ſui. Senatus,*

*quia non ipſe probaverat, reſpuit. Caeſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum.* Accedit etiam Romae, ad facilius documentum rerum in Syria geſtarum imperante Tiberio, tum Legatio ſolemnis Philonis ad Cajum, proxime a Tiberio imperantem, cum, poſt annos triginta, translatio tot millium Judaeorum poſt Hieroſolymitanum excidium, quorum ſcilicet aetate contigerant ea, quae de Chriſto ad Senatum, & ad Tiberium Pilatus perſcripſerat; cum & Joſephus inde abductus Hiſtoriam ſui ſaeculi literis mandaverit. Veſpaſianus non modo depoſuit ſacra vaſa, menſam, candelabrum, & arcam inde aſſumptam, verum & Bibliothecam Flaviam extruxit, ubi A. Gellius librum Lelii Varronis magiſtri reperit, antequam perirent incendio uſti ſub Commodo, quo etiam Bibliotheca, quae erat in Capitolio, de Caelo tacta eſt anno Aerae Chriſti Vulgaris 188. ut narrat Euſebius in *Hiſtoria Eccleſiaſtica*. Hanc tamen paulo poſt a Gordiano reparatam; idem Veſpaſianus, tradente Suetonio in ejus Vita cap. 8., reſtitutionem Capitolii aggreſſus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac ſuo collo quaedam extulit, ærearumque tabularum tria millia, quae ſimul conflagraverant, reſtituenda ſuſcepit, undique inveſtigatis exempla-

plaribus. Inſtrumentum Imperii pulcherrimum, ac vetuſtiſſimum confecit, quo continebantur pene ab exordio Urbis Senatus Conſulta, Plebiſcita de Societate, & Foedere, ac Privilegio cuicumque conceſſis. Patris exemplo etiam Domitianus, (licet non admodum deditus fuerit Hiſtoriae, imo & liberalia ſtudia initio Imperii neglexerit, ut ait Tranquillus in ejus Vita cap. 20.,) Bibliothecas tamen incendio abſumptas impenſiſſime reparare curavit, exemplaribus undique petitis, miſſiſque Alexandriam, qui deſcriberent, emendarentque. Horum diligentiam aemulati Principes ſucceſſores, praecipue vero qui proxime ab iis imperarunt uſque ad finem praedicti Saeculi Aerae Chriſtianae, librorum, & Actorum curam certatim ſuſceperunt, & profeſſi ſunt. Trajanus paucos poſt annos Ulpiam in Foro ſui nominis dedicavit, in ejus Templo collocatam, ubi Acta Praetorum veterum ſe legiſſe Gellius aſſeverat lib. xi. cap. 17. Hadrianus, & Antoninus Pater, ac Filius, cum omnibus ferme literarum generibus eſſent addicti, & praeſtantes in qualibet diſciplina viros undique accirent, & per omnes Provincias & honores, & ſalaria deferrent, non modo Bibliothecas auxerunt alienis laboribus, ſed & propriis cumularunt, & ipſi libros vitae ſuae ſcriptos a ſe libertis ſuis literatis dederunt, quemadmo-

admodum juſſit Hadrianus, ut ſuis nominibus publicarent: nam Phlegontis libri, Hadriani eſſe dicuntur; & Marcus Aurelius nomine ſuo id praeſtitit XII. libris Vitam complexus ſuam, ut Suidas teſtatur: quem deinde imitatus eſt Septimius Severus Imperator, a Capitolino indicatus in Vita Albini.

Jure igitur merito ad Archiva Romana provocabat Tertullianus, quando de rebus in Palaeſtina geſtis aetate Chriſti Domini ſermo erat; cum tot genuina monimenta Actorum Urbanorum, & Proconſularium, Senatus Conſulta, Principum Annales, Vitae, Epiſtolae, Libri authographi, Praetorum Edicta, Leges, Tabulae ibidem cuſtodirentur, & Principum juſſu repararentur, conquiſitis undique exemplaribus, ſi forte incendio abſumptae partes aliquae Bibliothecarum peribant. Nullibi gentium per eam aetatem tanta monimentorum copia, tantaque cura reparandorum fuit: adeo ut quae geſta fuerant in Palaeſtina, poſſent cognoſci tutius Romae, quam in ipſa Syria, praeſertim poſt cladem Hieroſolymorum, quae illius Civitatis praetioſa quaeque vel corruperat, vel in Urbem aſportaverat, & poſt alterum Judaeorum excidium, ab Hadriano ipſis illatum, quando Juſtinus Martyr, qui aetate praeceſſit Tertullianum. Hic, licet e Syria in Urbem adveniſ-

ſet,

ſet, quando Apologiam conſcripſit ad Imperarem Antoninum Pium, & Aurelium Caeſarem, ac Senatum,circa annum Aerae Chriſtiane 150., attamen Archiva Patriae ſuae, aut Provinciae Syriae non appellat, ſed ſeſe convertit ad Acta Pilati, quae Romae aſſervabantur.

*Haec autem*, inquit, *geſta eſſe ex iis Actis, quae Pontio Pilato Praetori facta ſunt, perſpicere poteſtis*: & certe Juſtinum Martyrem bis Romam veniſſe conſtat ex hiſtoria Euſebii lib.4. cap.11.; tum ex ejus reſponſo ad Praefectum Urbis,quod in ejus Martyrii Actis legitur, *veni autem in Urbem Romam*.

Contrahamus itaque vim argumenti, uno & altero bene perpenſo veritatis firmamento, quo procedi tutiſſime ducimus in Chronologica deſignatione diei, & anni Paſſionis Dominicae. Primum eſt, ut fidamus maxime illis Scriptoribus, qui Acta genuina perſpicere poterant Pilati,aliorumque Praeſidum Palaeſtinae,&Proconſulum Syriae ſub Tiberio, ad eundem Principem Romam tranſmiſſa,& in Archivis aſſervata:alterum vero,ut idcirco praeferamus aliis Auctoribus Eccleſiaſticis Juſtinum, & Hippolytum Martyrem, ac Tertullianum, qui Romae cum degerent, aut degiſſent, & diſputarent cum Ethnicis aliiſque Euangelii fidem non admittentibus de rebus a Chriſto Domino in Syria geſtis,

geſtis, appellabant Romana Archiva, & Conſuli jubebant codices Actorum ibidem aſſervatos, & inſimul conſignabant ſuis voluminibus, & marmoribus Paſſionis Dominicae Epocham ad diem VIII. Kal. Aprilis, duobus Geminis Conſulibus.

Quod autem Orientalibus documentis Actorum Pilati minus fidamus, quam Romanis, in cauſa eſt non modo auctoritas major, quam his conciliant Imperatorum & Senatus cognitio, & totius Imperii Tabularia heic a Principibus conſtituta; verum & falſitas, quae circa finem tertii a Chriſto Saeculi per Orientis Provincias Maximino ſubjectas, ejuſdem Imperatoris ſeu Tyranni juſſu, atque aſtu Ethnicorum, inducta fuit in Acta complura de rebus Chriſtianae Religionis inſtructa, & praecipue in Acta ipſa Pilati, unde diem & annum Dominicae Paſſionis deſumere tuto poterant Romani, qui genuina cuſtodiebant exemplaria ad Tiberium tranſmiſſa. De vitio per Orientis Provincias inducto in Acta Pilati; rerum potiente Maximino, teſtis eſt Euſebius *Hiſt. lib. 9. cap. 5.*, ubi ait: *Denique cum Acta quaedam apud Pilatum ſuper Servatore noſtro habita compoſuiſſent, plena impietatis adverſus Chriſtum, ea, per omnes Provincias Imperii Maximini, ipſo jubente, dirigunt; mandantes per literas, ut ubique locorum, tam*

*in*

*in agris, quam in Civitatibus publice componerentur; utque ludimagiſtri, pro dictatis, haec declamanda, & memoriae commendanda pueris traderent; quae non ſegnius exequtioni demandata, quam juberentur*, cognoſcimus *ex cap.7.* ejuſdem libri, ubi haec leguntur: *Porro in mediis Urbibus, quod numquam antea factum fuerat, Civitatum adverſus nos Decreta & Conſtitutionum Imperialium Reſcripta aeneis inciſa Tabulis proponebantur. Pueri item in ſcholis toto die nihil aliud, praeter IESUM, & Pilatum, & Acta illa ad contumeliam noſtram conficta, in ore habebant.* Pertinet autem iſta narratio ad Provincias omnes Maximino parentes, nempe ad Aſiam, Syriam, & Aegyptum; cum illic Lucianum, heic Petrum Alexandrinum, alioſque Aegyptiorum Epiſcopos capitali ſententia idem Tyrannus damnaret. Mirandum idcirco non eſt, ſi Chriſtiani Scriptores Orientalium Provinciarum, necnon Aegyptii, licet inter veteres Patres eruditione praeſtarent, non ita facile tamen potuerint inpoſterum definire diem & annum Dominicae Paſſionis; cum undique obſtreperent fictitia illa Pilati Acta falſis narrationibus ubique referta, eademque in omnibus Provinciis Maximini juſſu evulgata, imo & a ſingulis ludimagiſtris thematum loco pueris propoſita, & eo conſilio ab hoſti-

Q bus

bus noſtrae Religionis excogitata, ut genuinis Actis Pilati, apud Romanorum Archiva primo & altero Chriſti Saeculo cuſtoditis, & a Martyribus ejuſdem aetatis Senatui PopuloqueRomano atque ipſis Principibus ſaepe indicatis, fucum facerent. Propterea S. Epiphanius, qui poſt Maximinum integro ferme Saeculo ſcripſit, Romana Archiva conſulere, aut appellare non potuit;quemadmodumSaeculo praecedenti eadem conſulendi, & appellandi poteſtas fuerat Juſtino Martyri, Hippolyto, ac Tertulliano: praeſertim,cum etiam in Occidente Diocletianus, & Maximianus (a quibus Galer. Maximianus Caeſar eſt renunciatus)in Chriſtianorum ſcripta, non ſegnius ac in corpora, & fidem,ferro flammiſque armarentur. Quin etiam ſuſpicio non levis ſuboritur, ut circa hanc aetatem, quando Ulpiam Bibliothecam in Thermas Diocletiani transferri mandarunt Principes, vel quando Julianus Imperium ſuſcepit, & Chriſtianorum literis bellum indixit, mutilationes illae contigerint omnium fermeScriptorum, qui noſtri non ſunt (quemadmodum Tacitus, & Joſephus), iis praeſertim in locis, ubi Geſta Chriſti Domini, aut ejus Diſcipulorum libris ſuis inſeruerant. Verum, ne longius abripiar, quam par eſt, extra fines noſtrae inquiſitioni conſtitutos, temperabo ab hiſtoria vitiato-

torum Codicum ulterius proſequenda, contentus aſſertis hactenus demonſtratis, & plurimum conducentibus ad ſententiam S. Hippolyti, Tertulliani, & Victoris firmandam de Dominicae Paſſionis die, referendo ad VIII. Kal. Aprilis, duobus Geminis Conſulibus. Sunt autem duae iſtae aſſertiones praecipuae: nempe,

Prima eſt, perſpectam facilius fuiſſe diem Paſſionis illis Patribus, & Scriptoribus, qui Acta genuina Pilati non conſulere modo poterant Romae, ſed & indicabant Senatui, ac Principibus, quos in Urbe alloquebantur; quam aliis Auctoribus, in Provinciis degentibus ubi Archiva Caeſarum, & Bibliothecae cuſtodes monimentorum autographorum non erant extructae.

Secunda eſt, diem Paſſionis innotuiſſe clarius Patribus & Scriptoribus ab aetate Chriſti & Apoſtolorum minus remotis (quales fuere Juſtinus, Hippolytus, ac Tertullianus) & apud eadem Archiva verſatis; quam remotioribus ad Urbem nunquam profectis, aut ex ingenio, non ex monimentis, ea Geſta referentibus, quae ante annos ferme trecentos contigerant, qualem novimus eſſe Euſebium Caeſarienſem.

Multo autem minus exploratam dici poſſe ajo notitiam ejuſdem diei Scriptoribus poſt Euſebium Caeſarienſem altera aetate, qualis eſt

Epiphanius; praecipue ſi eiſdem contigerit degere in iis Provinciis, ubi Acta fictitia ejuſdem hiſtoriae, de qua nunc maxime quaeritur, auctoritate ſupremorum Principum, & veritatis abolendae ſtudio fuerant ita diſſeminata, ut vel ipſis pueris addiſcenda in ſingulis Civitatibus proponerentur. Hippolyto, ac Tertulliano, ſtatuentibus diem Paſſionis VIII. Kal. Aprilis, concinit vetus & univerſalis ſententia totius Occidentis, & Africae. Siquidem in Martyrologiis vetuſtiſſimis Latinorum, quibus adſtipulantur Hieronymus, & Auguſtinus, perinde legimus ac in Tertulliano: imo & a Patribus praecipuis Eccleſiae Orientalis, atque Aegyptiae, ut pridem notavere Scriptores eruditi, non ſecus ac a nobis, attribuitur dies VIII. Kal. Aprilis Paſſioni Dominicae: quod colligunt ex complexu duplicis myſterii in eandem diem incidentis, juxta ſententiam SS. Jo: Chryſoſtomi, & Cyrilli; quorum uterque putat, eadem die VIII. Kal. Aprilis Chriſtum Dominum Incarnatum, & poſt annos diſpenſationis Euangelicae Paſſum. His tamen Patribus non erat ignota ſententia Euſebii, quemadmodum nec S. Hieronymo ejus Chronicum librum Latine reddenti, nec D. Auguſtino eundem ſaepe indicanti in libris de Trinitate, quorum in IV. cap. 5. haec ſcribit: *Sicut a Majoribus traditum ſuſcipiens Ec-*

*Eccleſiae cuſtodit auctoritas. Octavo enim Kal. Aprilis conceptus creditur, quo & paſſus.* Ita etiam S. Jo: Chryſoſtomus in Hom. *de Nat. S. Jo: Baptiſtae*, loquens de Annunciatione Virginis Deiparae, & de die Dominicae Paſſionis, *Fuit igitur*, inquit, *quando haec ad Mariam Angelus annunciavit, VIII. Kal. Aprilis, menſe Martio, qui eſt dies Paſchae Paſſionis Domini, & Conceptionis ejus. In qua enim die conceptus eſt, in eadem eſt paſſus.*

Verba utriuſque exprimenda heic duxi, quia indicant, ni fallor, veteris traditionis veſtigium; licet illud non ſatis caute relegendo, aliquorum error turbaverit. Animadverti velim, Sanctum Auguſtinum non affirmare, perlatum veteri Eccleſiae traditione ad aetatem ſuam, Chriſti Domini mortem contigiſſe octavo Kal. Aprilis; ſed, Chriſti Paſſionem. Cyrillus videtur clarius indicare inchoationem Paſſionis, nempe diem eandem, qua Paſcham cum Diſcipulis comedit, &, myſterio abſoluto eadem nocte, ad hortum progreſſus Paſſionem exorſus fuit: nam ait perſpicue, *VIII. Kal. Aprilis menſe Martio, qui eſt dies Paſchae Paſſionis Domini, & Conceptionis*. Eadem phraſi utitur S. Hippolytus in ſuo Canone, ubi ( diem Lunae Paſchalis quartamdecimam ſignans anno Paſſionis Domini VIII. Cal. Aprilis ) & Lunam quartam-

tamdecimam,&ChriſtiPaſſionem exprimit. Hebraei a veſpera in veſperam Feſta ſua celebrabant. Hujus autem diverſae conſuetudinis ratio neglecta confuſionem inferre potuit; & efficere, ut,quem diem Romani appellarent in Actis VIII. Kal. Aprilis, nocte media nondum appulſa, vel, Syriaco exemplo Babyloniorum, Sole nondum exorto, eundem Judaei, a veſpera inchoantes, attribuerent proximo qui erat VII. Kal. April.

Cum autem capiendi Domini poteſtas facta fuit, complures miſſi a Principibus Sacerdotum, & a Senioribus Populi, ut ait Sacer Textus, nempe a Magiſtratibus Hebraeorum, Chriſtum Dominum orantem in horto comprehenderunt,& ligatum adduxerunt ad Annam, & Caipham Pontificem. Sed haec Publica poteſtas, cum ab utroque Tribunali manaverit die VIII. Kal. Aprilis nondum abſoluto juxta Romanos, neceſſe fuit in Acta Pilati diem eandem inſerere pro Tribunalium conſuetudine. Nam & in Actis Martyrum perinde id ſervatum novimus; licet in Provinciis inſtruerentur. *Tuſco, & Anulino Conſulibus IV. Id. Martii Teveſte in Foro,inducto Fabio Victore,una cum Maximiliano* &c. ita exordium concipiturActorum Sancti hujusMartyris: quemadmodum & Sancti Marcelli Centurionis & Martyris Tingitani Actorum initium eſt hujuſmodi, *In Civitate Tingitana, procu-*

*curante Fortunato Praeſide, advenit natalis dies Imperatoris &c.*, quae paulo poſt dicitur XII. Kal. Auguſti: & in Actis Sanctorum Martyrum Scillitanorum, *Praeſidente bis Claudiano Conſule XVI. Kal. Auguſti, Carthagine in Secretario, impoſitis Sperato, Narthalo &c. Saturninus Proconſul dixit* &c. Haec in Africa viguit conſuetudo: neque aliam viguiſſe in Aſia docemur ex Actis Pionii, & Sociorum, ubi menſis Aſiani dies exprimitur, & ſubditur dies Kal. Rom. & Feria hebdomadae: *Secundo itaque die ſexti menſis, qui dies eſt IV. Idus Martias, die Sabbati majore, Natale Polycarpi Martyris celebrantes genuinum, Pionium, Sabinam, Aſclepiadem, Macedoniam quoque, & Lemnum Presbyterum Catholicae Eccleſiae vis perſecutionis invenit*: & in fine Actorum repetitur: *Acta ſunt haec ſub Proconſule Julio Proclo & Quintiliano. Conſule Imperatore Gajo, menſe quinto, Trajano Decio & Vizeto Grato, &, ut Romani dicunt, IIII. Idus Martii, &, ut Aſiani dicunt, menſe ſexto, die Sabbati, hora decima*. Sexcenta hujuſmodi exempla colligere poſſemus ex Actis aliorum Martyrum, SS. Fructuoſi Epiſcopi, Augurii, & Eulogii Diaconorum exordium eſt hujuſmodi: *Valeriano, & Gallieno Imperatoribus, Aemiliano & Baſſo Coſs. XVII. Kal. Febr. die Dominico, comprehenſus eſt Fructuo-*

*Etuoſus Epiſcopus, Augurius, & Eulogius Diacones &c.*, & paulo poſt: *& fecerunt in carcere dies ſex, & producti ſunt XII. Kal. Febr. Feria ſexta, & auditi ſunt.* Verum, ne plura congeram, quam par ſit, videndum eſt diligentius de conſuetudine ſignandi Acta in Palaeſtina ſub Romanorum Imperio. Colligam ea lubentius ex ipſomet Euſebio, qui in eadem Provincia natalem, & Epiſcopatum obtinuit. Is vero, teſtis luculentus eſt: unde puto, nos facile percepturos, cur non admodum difficile fuerit ſumi promiſcue diem VIII. Kal. Aprilis, pro die VII. Cal. juxta variam ineundae diei Civilis rationem eadem in Provincia a Romanis ibi imperantibus, & Aegyptiis, Aſianis, Babiloniis, Judaeis incolis aliter inſtitutam.

Euſebius igitur Martyria SanctorumComprovincialium aetatis ſuae ſcripto conſignans, conſuevit diem menſis Macedonici exprimere, & comparare cum die menſis Romani, atque inſuper addere feriam hebdomadae in eam menſis diem incidentem. Nam,primum ex Palaeſtinae Martyribus Procopium,affirmat capite truncatum die octavo menſis Deſii, hoc eſt, ut Romani dicunt, ante diem ſeptimum Idus Junias, quarta feria hebdomadis. Anni vero notam praemiſit, aſſerens annum decimum Imperii Diocletiani, eundemque primumPerſecutionis.

Ce-

Celeberrima eſt apud noſtrates Epocha, quam appellant Martyrum. Nec tamen convenit inter Chronologos de anno Aerae Chriſti Communis, cui XIX. Diocletiani, & primus ille Perſecutionis aptetur. Diſcriminis autem cauſa profecta eſt ex ipſis ab Euſebio traditis characteribus, quos conciliare nemo poteſt: itaut vitiatos numeros ab Amanuenſibus conquerantur. Videndus ea de re Petavius *Doct. Temp.* lib.XI. cap. 31., ubi, relatis diſcrepantibus judiciis,ait, *Euſebius characteriſmorum varietate dubiam rem facit: haec tota varietas refunditur in deſcriptorum, & Amanuenſium incuriam*. Petitur tamen radix altera differentiae ex diverſis admodum initiis numerandorum menſium, & intercalandae diei biſſextilis, necnon dierum epagomenon. Apud eos Populos, qui Palaeſtinam incolebant, quidam Aegyptios imitati, principem anni diem ab Auguſti 29. auſpicati, per tricenarios menſes dinumerabant, adjectis in fine epagomenis dierum 5. Alii vero Aſianos, Macedones ſequuti, caput anni affigebant diei 24 Septembris Romani, & per menſes aequales Julianis deferebant annum; ſed, biſſextili anno incidente, cum non intercalarent cum Romanis VI. Kal. Martii, ſed poſt menſem poſtremum, nempe die 23. Septembris, initium menſis ſeptimi, nempe Artemiſii, quod anno commu-

ni obtinebat ſedem 25. Martii, anno biſſextili retrahebatur ad 24. Martii. Alii vero Syromacedones in Syria Aegypto proximiori, nempe Gazenſes, Raphiotae, Aſcalonitae, qui anno utebantur Aegyptiis menſibus tricenariis conſtante, neque in menſium initiis, neque in anni exordio cum reliquis concordabant: ſiquidem primam anni diem, 28. Octobris auſpicabantur; ut evidenter oſtendit Eminentiſſimus Noriſius *de Epoch. Syromaced.* Diſſert.I. cap.2., ubi diagramma anni Aſianorum expandit, & mira eruditione demonſtrat, quanta numerandorum menſium differentia in Aſia Proconſulari, in Cypro, in Syria, Phoenice, Palaeſtina, uſque ad ſextum Chriſti Saeculum obtinuerit,& quantum obſcuritatis & diſcrepantiae intulerit apud Scriptores earundem aetatum, & ipſorum Interpretes. Minime itaque miror, eadem Martyria duos proximos dies obtinere, non ſolum apud Scriptores, verum & apud Eccleſias, & Martyrologia. De Procopio Lectore ita obſervat Ruinartius pag. 372. *Paſſus eſt autem Procopius Lector anno CCCIII., primo ſcilicet Maximiani perſecutionis, in Palaeſtina die 7. Julii, ut ex Actis patet; quamvis Martyrologia ejus Feſtum ad ſequentem diem referant.* Valeſius in notis ad lib. Euſebii *de Martyribus Palaeſtinae*, verſionem latinam affert eorundem

dem Actorum ex Ms. codicibus, ubi dicitur: *idem Martyr amputato capite, inveniſſe Regnum Caeleſte die 7. Julii menſis, quae Nonas Julias dicitur apud Latinos, primo anno, quo adverſus nos fuit perſecutio*: & ſimul obſervat, *in omnibus tamen Martyrologiis Natalis B. Procopii conſignatus eſt die* 8. *Idus Julias*. Hac autem occaſione complura erudite adnotat de vario annorum, & menſium exordio apud vicinos in Syria Populos, & in ipſa Palaeſtina: *Aliter enim*, inquit, *Gazenſes, aliter Tyrii, aliter Caeſarienſes computabant. Ac Caeſarienſes quidem menſibus ad Julianorum formam prorſus compoſitis & aptatis uſos fuiſſe compertum eſt. Etenim in omnibus locis hujus libelli (ſunt autem quamplurimi), ubicumque mentio fit Macedonicorum menſium, apud Caeſarienſes ſemper dies illorum, conveniunt cum diebus menſium Romanorum; ſi unum hunc librum excipias capitis primi. Itaque reſcribendam heic puto* δεσίου μηνὸς ἑβδόμῃ. Haec Valeſius: quae tamen non ſufficiunt ad reſtituendum Euſebii Textum. Nam ſi annus celeberrimi illius Martyrii, Perſecutionis Epocham inchoans, ipſe eſt, quem deſignant Euſebius, & Acta, XIX. Imperii Diocletiani, & Conſulatum ejus VIII. cum VII. Maximiani praefert Kal. Jan.; eſt neceſſe fateri, Aerae Chriſti Communis eſſe 303., quo, cum litera Domi-

nicalis occurratC,bene incidiſſe dicitur diem 7. Julii in feriam IV., quae non congrueret cum die 8., quam praeferunt Martyrologia. Sed Euſebius,ita reſtitutus a Valeſio,hoc primo Perſecutionis anno claudicat; deinde in tertio ejuſdem Perſecutionis; ubi celeberrimum Sancti Appiani Martyrium ante Portas Caeſareae ſpectatum dicit die ſecundo menſis Xanthici, quod eſt ante diem VI. Nonas Aprilis feria VI. Anno igitur 305. dies ſecunda Aprilis eſſet feria VI: ſed litera Dominicalis G ejus anni indicat Dominicam diem Kal. Aprilis, atque adeo poſtridie Kal. exhibet feriam ſecundam. Anno ſequenti, quem quartum Perſecutionis vocat, nempe Aerae Chriſti Vulgaris 306., cui obtigit litera Dominicalis F, ſcribit apud eandem Urbem Caeſareae *die viceſima menſis Dii, quod eſt ante diem duodecimum Kalendas Decembris, Feria ſexta*, Agapium Martyrem,praeſente ipſo Maximino, & ob Natalem ſuum ſpectacula populis exhibente, fuiſſe feris objectum, ac dilaceratum ab urſa; qui tamen *adhuc ſpirans*, inquit, *in carcerem reportatur*: *ubi*, *cum diei ſpatio ſupervixiſſet, ſequenti die appenſis ad ejus pedes lapidibus, medio mari ſubmerſus eſt*. Dies XII. Kal. Decembris, ſive 20. Novembris, qua S. Agapius fuit beſtiis objectus, anno 306. incidit in feriam IV. & dies proxima, quam S.Mar-

tyr

tyr in carcere ſemivivus egit, reſpondet Feriae v; ſubſequens autem dies 22. Novembris Romanorum,& Dii menſis Caeſarienſium,qua in mare Martyrium conſumavit, reſpondet Feriae ſextae. Attamen Euſebius biduo ante, nempe die productionis Agapii in Amphiteatrum, Feriam ſextam ad ejus Martyrii diem pertinentem conſignat: & occaſionem dedit Scriptoribus Martyrologiorum attribuendi diem 20. Novembris Natali S. Agapii, cum Natalis fuerit biduo poſt, 22. Vii, ſeu Novembris. Confundit itaque Euſebius Feriae characterem debitum diei mortis, cum die inchoati Martyrii, biduo toto inde remota, idque praeſtat in Geſtis aetatis ſuae, & in Civitate, cujus Epiſcopalem Cathedram paucis poſt annis ipſemet obtinuit. Multo ergo facilius miſcere potuit diem inchoatae a Chriſto Paſſionis, cum die Paſſionis expletae, quae non totis 24. horis ſecernebatur, & pertinebat ad annum tribus Saeculis ab Euſebio diſſitum, & contigerat in Civitate funditus everſa ante annos pluſquam ducentos & quadraginta, quam ipſe ſcriberet: ubi nova Colonia Aelia Capitolina alio fortaſſe Kalendario jam tum utebatur, quam Syromacedonum, vel Judaeorum.Similem diei ſubſtitutionemobſervat Ruinartius (1) in eadem Perſecutione Dio-

(1) In Actis primorum Martyrum ſinceris pag.407.

Diocletiani contigiſſe in Geſtis Sanctorum Saturnini, & ſociorum Martyrum Africanorum, quos paſſos memorat ex S. Auguſtino, *Coſs. Diocletiano novies, & Maximiano octies, pridie Idus Februarias, ideſt*(inquit Ruinartius p.408) *anno* 304. *die* 12. *Februarii: quo quidem die eorundem Martyrum memoriam celebrat Vſuardus, quam Martyrologium Romanum die praecedenti, neſcio qua de cauſa, conſignavit. Sed ibi quaeſtionis quidem, non vero conſummati martyrii tempus deſignatur, ut ex Actis patet. Proferam exempla ſimilia &c.*

Concludam itaque tot experimentis, in Orientali & Occidentali Eccleſia non ſemel contigiſſe, ut per diem unam, & alteram, Natalitia Martyrum diverſimode ſcriberentur in Tabulariis, ex Actorum indicatione, cum ſcilicet quidam tranſcriberent ex Actis diem quaeſtionis & inchoatae paſſionis, eamque confunderent cum die conſummati Martyrii; ut inde poſſim inferre, non aliter contigiſſe in deſignatione diei Dominicae Paſſionis, quàm pleraeque Eccleſiae cum proximis Saeculo Chriſti Scriptoribus ex Actis Pilati genuinis, apud Romanorum Archiva cuſtoditis, conſignarunt die VIII. Kal. Aprilis, duobus Geminis Conſulibus; qua ſcilicet die ante mediam noctem Paſſionem in horto Dominus inchoavit; cum alii Scriptores Paſſio-

nem

nem referrent ad diem proximam, qua, ſcilicet hora nona, mori voluit in Cruce, quae dies fuit VII. Kal. Aprilis juxta Victorium, & Lactantium. Quod hunc referam inter eos, qui Victorio ſuffragantur, mirabitur fortaſſe aliquis, qui legerit apud eundem lib. IV. *Inſtitutionum* cap. X. *ante diem decimum Kalendarum Aprilium a Judaeis Cruci affixum fuiſſe Chriſtum Dominum*, & in Opuſculo *de mortibus Perſecutorum*, (qui a pleriſque Lactantio tribuitur, licet non deſint Critici qui alteri adjudicent) cap. 2. *a Judaeis cruciatum* afferat *poſt diem decimum Kalendarum Aprilis*. Prior ille textus in editione Lugdunenſi anni 1587. apud Joannem Tornaeſium Typographum Regium, quae dicitur auctoritate librorum manuſcriptorum emendata, pag. 289. & 290 ita habet, de Judaeis loquens: *Exinde Tetrarchas habuerunt uſque ad Herodem, qui fuit ſub Imperio Tiberii Caeſaris, cujus anno quinto decimo, ideſt duobus Geminis Conſulibus, ante diem ſeptimam Kalendas Aprilis Judaei Chriſtum Cruci affixerunt*. In margine ad locum aſteriſci adſcribitur *decimam*, ut alia ſcilicet exemplaria perhibent. Potiori tamen jure contendo, emendandos codices qui *decimam diem* exhibent, ex aliis, qui *ſeptimam* cum Victorio addicunt Crucifixioni, & octavam Kalendas inchoatae Paſſioni, cum Actis

Pilati

Pilati, & Archivis Romanis, a Tertulliano, & Juſtino indicatis: quorum ſententiam ſequitur conſenſus Eccleſiarum & Patrum ſupra indicatorum.

Sententia igitur Victorii, affirmantis anno 28. Aerae Vulgaris, duobus Geminis Conſulibus, VIII. Kal. Aprilis *ad Montem Oliveti profectum Dominum Jeſum Chriſtum, ibique detentum a Judaeis, tradente Diſcipulo; deinc ſexta Feria ſubſequente, id eſt VII. Kal. Aprilis, crucifixum* (ut Editio Lugdunenſis Lactantii etiam comprobat), *& ſepultum, tertia die, hoc eſt V. Kal. Aprilis, Dominica reſurrexiſſe a mortuis*, ſententia, inquam, iſta Victorii optime conciliatur cum antiquiſſimis Patrum, altero Chriſti Saeculo indicantibus Acta Pilati Romanis in Archivis cuſtodita & nondum vitiata ab Orientalibus juſſu Maximini, iiſdemque conſignantibus diem Paſſionis VIII. Kal. Aprilis; dum illi Patres, & recte, Paſſionem inchoatam eidem diei attribuunt; cui poſteri conſumatam perperam aſſignarunt, ex anno duorum Geminorum Coſs. non recte pariato cum anno 29. Aerae Vulgaris ex innovatione Faſtorum, cum eſſet retrahendus ad 28., ut oſtendam Capite ſubſequenti, ex eorumdem Faſtorum reſtitutione, autographis documentis jam ordinanda.

Verum ne unico aut altero nitamur exemplo, complura ſunt proferenda. In

In Graecis itaque Provinciis, ipſaque Metropoli Macedoniae Theſſalonica, variatae diei memoria, ob initum & completum agonem martyrii Sanctarum Agapes, Chioniae, & Irenes, Acta nos docent apud Baronium, Surium, & Ruinartium (1). Obſervat in admonitione Actis praemiſſa poſtremus hic & clariſſimus Auctor num. 5. *Agapes, & Chioniae memoriam vulgata Martyrologia ut plurimum die 3. Aprilis recolunt; Irenes vero die 5. ejuſdem menſis: quarum Martyrium Henſchenius ad annum 290. refert. Nos vero ex Actis ſinceris eas anno 304. die prima Aprilis paſſas fuiſſe contendimus. Irene quippe dicitur conſummata Conſulatu Diocletiani Auguſti nono, Maximiani autem Auguſti octavo, Kalendis Aprilis.* Acta vero diſerte oſtendunt, Agapem, & Chioniam a Dulcetio Praeſide per ſententiam e tabella recitatam fuiſſe juſſas igni contradi: *Hiſque dictis, ſubjunxit: Agatho autem, Caſia, Philippa, & Irene, quoad mihi placuerit, ſerventur in carcere.* Tum ſubdit: *Poſtea vero quam Sanctiſſimae Mulieres* (Agape, & Chionia) *igni conſummatae ſunt, cum rurſus Sancta Irene ad Praeſidem ducta fuiſſet, Dulcetius ſic illam affatus eſt:* Exprobrat illi Dulcetius Sacrorum Codicum apud eam repertorum recognitionem, enumerat

S *mem-*

(1) Ruinart. pag. 420.

*menbranas, libros, tabellas, codicillos, & paginas Scripturarum, quae ſunt impiorum Chriſtianorum &c. quae cum prolata eſſent* (inquit), *ea agnoviſti, quamvis quotidie negaveris vos ejuſmodi ſcripta poſſidere, non contenta neque ſororum tuarum poena, neque mortis metum prae oculis habens*. Nemo non videt, bidui, vel tridui intervallum ſaltem interceſſiſſe inter eam diem, qua ſiſti primum juſſae ante Dulcetium Agape, Chionia, Irene: eodem namque actu interrogatae, cum de Fide reſpondiſſent fortiter, priores duae ſunt igni traditae, ac tertia carceri reſtituta, *& quotidie* interrogata, ut Scripturas traderet: quibus deinde repertis, ſententiam incendii & ipſa percepit: & *Dei gloriam celebrans*, cum juſſa eſſet rogum aſcendere, *in rogum ſe conjecit* (ut in Actis legitur), *atque ita conſummata eſt in Conſulatu Diocletiani Auguſti nono, Maximiani autem Auguſti octavo, Kal. Aprilis*. Si conferantur Acta cum Martyrologiis, utrorumque conciliandorum haec unica ratio videtur ſupereſſe, ut intelligamus Kalendis Aprilis ante Judicem inſimul adſtitiſſe; die vero tertia exequutioni demandatam ſententiam, a Praeſide e ſcripto prolatam ipſis fortaſſe Kalendis (vel die inſequuta) contra Agapen, & Chioniam; biduo autem poſt, Martyrio conſumatam etiam Irenem.

Exem-

Exemplum aetate proximum apud Siculos vides in Actis S. Euplii Diaconi & Martyris apudBaronium, & Surium,ita a Ruinartio p.438 exſcriptis : *Diocletiano novies , & Maximiano octies Coſs. pridie Idus Auguſti in Catanenſium Civitate, cum eſſet extra velum Secretarii, Euplius Diaconus proclamavit dicens, Chriſtianus ſum*. Ruinartius ibi in notis ait : Sic etiam Codex Vallicellanus. At Mombritius, & Bollandus(ſicut & infra)ſub die IV. Idus Auguſtas. Idem Ruinartius in admonitione iiſdem Actis praemiſſa ſcribit : *Rectius in editione Coteleriana nonus Diocletiani , & octavus Maximiani Conſulatus , ideſt annus Chriſti 304 aſſignatur, quem annum in ſuo Codice Ms. adnotatum fuiſſe refert Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum die 12. Auguſti ; quamvis Acta,quae in Annalibus inſeruit, praecedentem exhibeant. Hujus Martyris Feſtum Graeci recolunt die undecima Auguſti, Latini autem die ſequenti.*

Luculentum vero prae ceteris teſtimonium ita permutatae diei Paſſionis initae, & conſumatae, etiam in Italia, proferam ex Actis S. Felicis Epiſcopi Tubzocenſis in Africa, paſſi vero in Italia non primo anno Perſecutionis, Diocletiano VIII. & Maximiamo VII. Coſs., ut Acta referunt, ſed ſecundo : nam dies Martyrii

caeleſti nota illuſtratur, nempe Lunari Eclipſi iiſdem in Actis relata, quae de die mortis nos dubitare non ſinit; cum ceteroqui Actorum tanta ſit diligentia, ut non modo diem, & noctem, ſed etiam horam conſtituti apud Proconſulem Martyris enarrent: *Tunc profectus*, inquiunt, *eſt Felix a Tibiura octavo Kalendas Julias. Ligatus deductus eſt; ligatum vero juſſit in carcerem trudi. Alia autem die productus eſt Felix Epiſcopus ante lucem*. & paulo infra: *Poſt ſexdecim autem dies Felix Epiſcopus productus eſt de carcere in vinculis hora noctis quarta ad Anulinum Proconſulem &c.* Poſt deductionem ad Praefectum Praetorii Idibus Julii, hujuſque remiſſionem ad Imperatores, pervenit Agrigentum, Catanam, Meſſanam, Taurominium, & freto tranſmiſſo, in Italiam perducitur. Praefecto ſiſtitur Venuſii in Apulia, a quo damnatus, agit Deo gratias (1): *Et deductus eſt ad Paſſionis locum (cum etiam ipſa Luna in ſanguinem converſa eſt) die tertio Kalendas Septembris.* Calviſius diligens Eclipſium ſupputator, in ſua Cronologia hanc ipſam Eclipſim ad Tabularum Aſtronomicarum fidem exegit: & contigiſſe docet *ſequenti die*, nempe pridie Kal. Septembris, Feria quinta, hora poſt meridiem nona, minut. 36, nempe duabus circiter horis, & dimidia,

(1) Ruinart. pag. 378.

Digitized by Google

dia, antequam inirent Kalendae Septembris, Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Conſulibus, Chriſti anno 304. Conſentiunt etiam Tabulae aliorum Aſtronomorum circa diem, & annum Eclipſeos.

Qua igitur ratione factum putamus, ut Actorum Scriptor Martyrium, & Eclipſim conſignaverit die III. Kalend., qua die Martyris Natalem etiam vetuſta Martyrologia proferunt? Hac ſcilicet ex cauſa, qua pridem, ex die inchoatae Paſſionis Dominicae VIII. Kal. Aprilis, eandem, licet conſumatam die VII Kalend., exhibuerunt tam Martyrologia, quam Scriptores plerique ſub eodem titulo Actorum VIII. Kal; non diſtinguentes Feriae quintae poſtremas horas, a ſubſequentibus horis poſt mediam noctem, pertinentibus ad diem VII. Kal. in Kalendario Romano. Ita etiam Scriptor Actorum S. Felicis, diem III. Kal. Septembris, ſeu 30. Auguſti, quae fuerat fortaſſe dies ſeu nox producti apud Praefectum Martyris dum eſſet Venuſii, lataeque contra eum capitalis ſententiae, commiſcuit cum ſequenti, qua caput illi amputatum fuit, dum Eclipſim Luna ſubiret, & horas poſtremas ſignaret diei Civilis 31. Auguſti.

Concludam itaque tot experimentis in medium prolatis ex Actis Martyrum tum in

Ita-

Digitized by Google

Italia, tum in Provinciis ( unde Euſebius, aliique Hiſtorici, ac Eccleſiarum Tabularia, & Martyrologia adornant ſuas Collectiones), non ſemel contigiſſe tam in Eccleſia Orientali, quam in Occidentali, ut per diem unam, aut alteram, Natalitia Martyrum diverſimode ſcriberentur ab ipſiſmet Notariis Chriſtianis ex genuinis Actorum documentis, & indicatione; cum ſcilicet quidam tranſcriberent ex Actis diem quaeſtionis, aut inchoatae Paſſionis; eamque confunderent cum die conſummati Martyrii, vel etiam cum die Depoſitionis, ſi proxime ſequeretur.

## CAPUT SECUNDUM.

*Annus Paſſionis Dominicae componendus oſtenditur cum Conſulatu* DUORUM GEMINORUM *juxta Antiquiſſimos Patres, & cum Anno 28. Aerae Chriſti Vulgaris, uti docuit Victorius, aliique veteres Scriptores.*

CUM in die Paſſionis Dominicae deſignando jam oſtenderimus Capite ſuperiori, Victorii ſententiam non repugnare antiquiſſimis Pa-

Patrum, & Scriptoribus Chriſti Saeculum proxime attingentibus ac Romae verſantibus apud Bibliothecas, & Archiva, ubi aſſervabantur Acta Tiberii, & Pilati, aliorumque Syriae Praeſidum, & Praepoſitorum Judaeae adminiſtrandae; ſed conciliari cum Tertulliano, Theophilo, aliiſque ejuſdem aetatis, imo & cum doctiſſimis inter Patres Orientalis & Occidentalis Eccleſiae: multo evidentius nunc ſtatuemus, annum Paſſionis Dominicae a Victorio compoſitum cum duorum Geminorum Conſulatu, reſpondere omnino ipſorum Patrum indicationi, iiſdem Conſulibus perſpicue tradenti, paſſum Chriſtum Dominum, a mortuis ſurrexiſſe, & in Caelum poſt dies quadraginta aſcendiſſe.

Duas vero partes complectitur iſta comprobatio ſententiae Victorii, quam heic atteximus. Prima verſatur in demonſtrando, duos GEMINOS Conſules anno, Paſſionis Dominicae ex auctoritate veterum Scriptorum eſſe cum Victorio tribuendos; (quae inquiſitio, cum ſimplex admodum ſit, & parata, poterit unico Capite abſolvi): pars altera, quae oſtendit, duorum Geminorum Conſulatum eſſe pariandum cum anno 28. Aerae Chriſti Vulgaris, ita connectitur cum multiplici ordinatione Geſtorum, Epocharumque, & Caeleſtium motuum cum ſerie Conſulum & inter ſe cohaerentium, ut neceſ-

ſario

ſario diffundenda ſit in pluresSectiones, diſcretis Capitibus pertractandas, ne ſcilicet rerum varietas, & argumentorum copia officere poſſit perſpicuitati. Primam igitur partem aſſerti Victoriani & noſtri, heic ſtatuemus; oſtendentes, Kalendis Januarii ejus anni Juliani, quo Chriſtus Dominus Paſſionem,& Mortem ſubiit, duos Geminos Conſules, nempe C. Fufium & L. Rubellium (utrumque cognomento Geminum) ex antiquiorum Patrum & Scriptorum ſententia proceſſiſſe.

Innitar fundamentis ſuperiori Capite praejactis. Concedet cordatus quiſque,fidendum eſſe praecipue Scriptis genuinis,& publica auctoritate ſignatis ejus aetatis, de qua loquuntur: tum teſtibus, qui eadem Acta genuina conſulere facile poterant in authographis nondum corruptis. Tum ad Geſta Tiberii, Pilati, & Praeſidum Syriae,ac Procuratorum Judaeae converſus, ( quae Romanis in Archivis indicantur aſſervata aetate ſua a Patribus Secundi ac Tertii Saeculi, dum Romae verſarentur & alloquerentur Magiſtratus, Senatum, ac Principes, aut ederent Opera ad eoſdem Judices perferenda,) peto, num quiſpiam ex iiſdem Patribus ſit, qui alios Conſules,quam duos Geminos tribuat Anno Salutis noſtrae, a Chriſto Domino aſſertae in Cruce & Victoria ſua? Nemo, quod ſciam, e Pa-

Patribus ac probatis Scriptoribus Secundi ac Tertii Saeculi alios Conſules aſſignavit. Primus Euſebius Caeſarienſis recedere auſus fuit a recepta ſententia, ut obſervant complures cum Pagio ad annum 5525, Chriſti 32. num. 3. Verum de Euſebii receſſione paulo poſt inquiremus, ubi primum de conſenſu eorum conſtiterit, qui Euſebium praeceſſerunt; necnon de Scriptoribus ſacris proximis ab Euſebio, vel aequalibus, qui duos Geminos Conſules ab anno Paſſionis minime ſeparandos cenſuerunt, etiam poſt vulgatum Chronicum Canonem Euſebii.

Tertullianus, qui ad Archiva Romana provocat, cum Judaeis & Gentibus agens de rebus a Chriſto geſtis, expreſſe aſſerit, duobus Geminis Conſulibus in Chriſti morte completum eſſe Vaticinium LXX. Hebdomadarum à Daniele praedictum: *Quae Paſſio hujus exterminii intra tempus LXX. hebdomadarum perfecta eſt ſub Tiberio Caeſare, Conſulibus Rubellio Gemino, & Fuſio Gemino, menſe Martio, temporibus Paſchae, VIII. Kalendarum Aprilium, die prima Azymorum*. Acta vero Pilati nondum corrupta juſſu Maximini, ex hoc Tertulliani indicio arguuntur duos Geminos Conſules memoraſſe in Paſſione Domini. Nam menſis Martius, & tempus Paſchae VIII. Kal. in Actis Pilati ita reperiebantur conjuncta, ut ex Actis Pi-



Digitized by Google

lati Cappadoces contenderent, recte id a ſe fuiſſe conſtitutum, quod VIII. Kal. Aprilis fixa die quotannis Paſcha celebrarent; licet quacunque alia die, quarta decima dies Lunae contingeret, quemadmodum teſtatur S. Epiphanius *in Haereſi Quartadecimanorum*. Neque Patres illis repugnantes refellunt Acta; imo cum ipſis admittunt fere omnes ante Euſebium, eadem die 25. Martii paſſum fuiſſe Dominum; ſed negant, idcirco quotannis Paſcha Paſſionis eſſe die 25. Martii indicendam. Credunt plerique, ab Actis Pilati notitiam anni Conſulatus Geminorum indicatam fuiſſe Phlegonti Hadriani Liberto, non minus ac diem illius Eclipſeos extra naturae ordinem, quam deinde Africanus Tertio Chriſti Saeculo inſeruit ſuae Chronologiae. Quidquid tamen ſit de Phlegontis notitia, certum eſt, praecipuos Patrum Occidentalium dixiſſe, a Conſulatu Geminorum Aeram Paſſionis eſſe inchoandam; non ſecus ac dixerunt ab VIII. Kal. Aprilis: ejuſque memoriae Auctores ac teſtes equales, non modo produxerunt Scriptores Actorum Pilati, ſed & ipſos Apoſtolos Chriſti praecones & commenſales. S. Auguſtinus l. 18. *de Civitate Dei* cap. 54. ut oſtendat, jam ante trigeſimum annum, Coſs. Honorio & Euthychiano, effluxiſſe fatalem illum 365. a morte Domini ab ejuſque Euangelio evulgato, qui rem

Chri-

Chriſtianam perditum iret ex falſa divinatione Gentilium, ita ſcribit: *Ex ipſo anno quaerendum eſt, quando trecenti ſexaginta quinque completi ſint. Mortuus eſt ergo Chriſtus duobus Geminis Conſulibus, VIII. Kal. Aprilis: reſurrexit tertia die, ſicut Apoſtoli ſuis etiam ſenſibus probaverunt: deinde poſt quadraginta dies aſcendit in Caelum: poſt decem dies, ideſt quinquageſimo poſt ſuam Reſurrectionem die, miſit Spiritum Sanctum: tunc tria millia hominum Apoſtolis eum praedicantibus crediderunt: tunc itaque Nominis illius cultus exortus eſt, ſicut nos credimus, & veritas habet, efficacia Spiritus Sancti &c.* Hinc colligitur etiam dies, ex quo annus ipſe ſumpſit initium, ſcilicet quando miſſus eſt Spiritus Sanctus, ideſt per Idus Majas: numeratis proinde Conſulibus, trecenti ſexaginta quinque anni reperiuntur impleti per eaſdem Idus Majas, Conſulatu Honorii & Euthychiani. Infert hinc Vir Clariſſimus Emanuel a Schelſtrate (1), traditum id fuiſſe ab Apoſtolis, atque illi Traditioni inhaeſiſſe S. Hippolytum, ac Tertullianum.

Quid, ſi tam genuina documenta deprehendamus ejuſdem anni, ac Pilati Praeſidis Acta ſunt, quae publice aſſervata fuerint in aliquo Orientalis ditionis Archivo, & eoſdem Conſu-

T 2 les

(1) Antiq. Eccleſ. Tom. 2. Diſt. 4. num. 8.

les Geminos aſſignent anno Paſſionis Domini? At illa miniſtrat nobis Euſebius (1) in Geſtis Abgari Regis, quae in Tabulariis Edeſſae, ubi eodem anno regnabat Abgarus, *ad noſtram uſque aetatem*, inquit, *conſervata reperimus*. Narrant Acta profectionem Thaddaei, unius ex LXX Chriſti diſcipulis ab Apoſtolo Thoma ad Abgarum miſſi poſt Aſcenſionem Domini. Non illico tamen eum colloquutum praeferunt cum Abgaro; ſicut nec illico poſt diem Aſcenſionis profectum: quippe qui Spiritus Sancti Adventum expectare prius debuit in Civitate, ſedens cum Apoſtolis, nempe Idus Majas, ex calculo Sancti Auguſtini loco indicato *de Civitate Dei* lib. 18. cap. 54., & per aliquod ſpatium Chriſtianae vitae rudimenta cum ceteris Fidelibus excipere ſub Apoſtolorum Magiſterio. Poſtquam autem Edeſſam pervenit, apud Tobiam alterius Tobiae filium divertit. Tum vero curare coepit egrotos: donec, percrebeſcente fama miraculorum, ad Regem de ejus adventu perferretur. Abgarus vero Tobiam accerſitum jubet hoſpitem ſuum ad ſe perducere. Thaddaeus Regem primum ſanat; mox etiam Abdum, & complures ejuſdem Civitatis, ubi liberam praedicandi verbi Dei facultatem a Rege obtinet. Haec omnia cum Actis ita concluduntur.

(1) Hiſt. lib. 1. Cap. ultim.

tur: *Acta ſunt haec anno quadrageſimo ac treccenteſimo*, ſcilicet Edeſſenorum. Edeſſa, Metropolis Provinciae Oſrhoenae ſeu Meſopotamiae ad Euphratem ab Imperatoribus Chriſtianis declarata, probatur ab Emo Noriſio (1) uſurpaſſe ſub Abgaris Aeram Seleucidarum ex pluribus Euſebii aliorumque Scriptorum teſtimoniis. Prae ceteris autem affert celebrem illum ejus Chronici textum ad annum primum Olympiadis 264., quem Chronologi fere omnes obſervant: *Secundo anno Probi, qui juxta Antiochenos trecenteſimus vigeſimus quintus annus fuit, juxta Tyrios quadrigenteſimus ſecundus, juxta Laodicenos trecenteſimus vigeſimus quartus, juxta Edeſſenos quingenteſimus octogeſimus octavus, juxta Aſcalonitas trecenteſimus octogeſimus, inſana Manichaeorum haereſis in commune humani generis malum exorta*. Eum annum probat Emus Cardinalis fuiſſe in Aera Chriſti Communi 277, Probo Auguſto & Paulino Conſulibus, cum annus praecedens 276. fuiſſet Biſſextilis: quo ex Autumno numerari coepit 588. Aerae Seleucidarum juxta Edeſſenos. Cum hi vero numerarent 340. circa Autumnum anni, quo advenit Thaddaeus paucis menſibus poſt Chriſti Paſſionem, ut ex Tabulariis Edeſſenorum, & Actis Abgari ibidem aſſervatis aetate Eu-

(1) De Epoch. Syrom. Diſſ. 2. cap. 3. §. 1.

Euſebii jam vidimus, facile colligitur, annum Julianum Paſſionis Chriſti, & adventus Thaddaei, eundem eſſe ac 28 Aerae Chriſti Communis, diſtantem ab Autumno anni Biſſextilis 276 quo coepit enumerari Seleucidarum 588 juxta Edeſſenos, annis 248. adeoque & ipſum Biſſextilem. In eum vero annum Aerae Chriſti Vulgaris 28. incidunt duo Gemini Conſules, ut manifeſtum fiet proximis Capitibus; licet illud Collegium omnes, praeter Victorium, differant ad annum 29., reclamantibus characteribus Paſſionis Chriſti, & ſupremi Paſchatis VIII. Kal. Aprilis, ab Actis Pilati, & ab Eccleſia ferme univerſa receptis, qui cum anno 29. coaleſcere nunquam poſſunt; aptantur vero adamuſſim anno 28. Perſpicuum igitur eſt, Acta Abgari in Edeſſae Tabulariis ab Euſebio perſpecta, conſentire cum Actis Pilati cuſtoditis apud Archiva Romanorum aetate Juſtini, ac Tertulliani, & in Cappadocia receptis, dum decernunt annum Paſſionis Epochae Vulgaris Chriſti, eumque Biſſextilem, 28 duobus Geminis Conſulibus, ut nos cum Victorio ſtatuimus.

Nec retrahere nos debet a recipienda Chronologia Actorum Abgari, apud Edeſſenos ita reſpondente Chronologiae Actorum Pilati, quae ad Tiberium tranſmiſſa fuerant, Euſebii nimia facilitas in Epiſtolis Chriſti Domini, & Ab-

Abgari admittendis, quas ibidem recitat; cum in Synodo S.Gelaſius,ut vulgo creditur ( inquit Card. Noriſius (1) ) eaſdem inter apocrypha ſcripta retulerit. Nam Epiſtolae illae ſuppoſititiae, ferebantur pridem datae, & receptae, neque eodem anno ſcriptae, quo Thaddaei adventus, & Abgari ſanatio in publicis Edeſſenorum munumentis conſignabatur. Scio etiam levitatis accuſari Euſebium a Criticis oculatioribus (2), quod Hiſtoriam ejuſmodi veram habuerit, in qua exhibetur Thaddaeus Chriſtum annuncians Abgaro, ejuſque Populo; cum ex Actis Apoſtolicis doceamur, Euangelium aliquanto ſerius Gentibus annunciatum, poſt viſionem ſcilicet Petri, & Cornelii. Verum non repugnat, ut Thaddaeus ad confratres Judaeos Edeſsae verſantes diverterit, quemadmodum manifeſtat nomen hoſpitis ſui Tobiae; & facta a Principe poteſtate loquendi publice de Chriſto Domino, in cujus nomine ipſum, alioſque ſanaverat, reddiderit veritati teſtimonium, praeſentibus aliis Judaeis, & Gentibus: quemadmodum etiam Apoſtoli die ipſa Adventus Sancti Spiritus, & ubicumque dabatur occaſio, frequenti Populo (Parthis, Medis, & Aelamitis, & qui habitant Meſopotamiam, nempe & ipſis Oſrhoe-

(1) Ep. Syrom. pag. 108.
(2) Du Pin in Bibl. nova Auct. Eccl. pag. 1.

Oſrhoenis,ad quos Thaddaeus eodem anno profectus dicitur in his Actis),etiam vetante Magiſtratu, de Chriſto loquebantur, antequam Cornelius baptizaretur. Et Cardin. Baronius, licet triennio poſt Cornelium baptizatum haec Geſta Thaddaei referat, quod annus Edeſſenorum appoſitus minime patitur; attamen Eunuchum Candacis baptizatum exhibet ante Cornelium, cum ſcilicet prius Proſelytus, deinde Chriſtianus fuerit effectus; quod etiam de Abgaro credere nihil vetat. Certe S.Hieronymus *in cap. X. Matthaei* videtur Geſta Thaddaei tanquam Eccleſiaſticae hiſtoriae partem admittere, licet de ſuppoſititiis Epiſtolis Chriſti & Abgari nullam habendam eſſe rationem fortaſſe duxerit; cum, inter Scriptores Eccleſiaſticos, eorumque Scripta recenſenda, haſce literas ſilentio praetereat. Annalium Eccleſiaſticorum parens Baronius (1) Thaddaei & Abgari hiſtoriam diſtulit, ſed admiſit: quin etiam Epiſtolas Chriſti & Abgari non vindicat quidem a cenſura Gelaſiana, verum nec poſthabendas omnino credit, tanquam in ſingulis partibus omnino confictas, ductus auctoritate Veterum, quos enumerat. Prudentiſſimus etiam auctor Hiſtoriae Eccleſiaſticae Antonius Godeau Epiſcopus Vincienſis Tomo 1. pag. 275. affirmat, nolle ſe auctoritatem addere

(1) Ad ann. 31. num. 60.

dere Epiſtolis a Gelaſio proſcriptis, ſed neque negare velle hiſtoriam, validis rationibus firmatam ab Auctoribus Antiquitatis. Cum his & ipſe non aſſero literas genuinas, quas apocryphas rite judicatas eſſe novi; ſed hiſtoriam Thaddaei citra literarum approbationem ſubſiſtere poſſe video. Verum de hiſtoriae veritate ſtatuat quiſque pro lubitu. Praeſentis inſpectionis ſumma eſt, Chronologicos characteres anni Dominicae Paſſionis, qui, ſcribente Euſebio, in publicis Edeſſenorum Tabulariis tanquam genuini proponebantur, jam tum conſenſiſſe adamuſſim cum characteribus Chronologicis anni Dominicae Paſſionis, quia ex Actis Pilati e Syria Romam tranſmiſſis aetate Tiberii, ibique exſtantibus dum Romae agebat Juſtinus, & dum contra Judaeos ſcribebat Tertullianus, & ex utriſque conficio, tribuendum eſſe Paſſioni Dominicae annum Biſſextilem 28 Aerae Communis, eundemque ſignandum cum Victorio duobus Geminis Conſulibus; quos ſcilicet ad annum 28. pertinere, non vero ad 29. (ut communiter alii ſtatuunt) ſequentibus ex Capitibus fiet manifeſtum.

A Conſulatu Geminorum Paſſionem Dominicam, vel primus ſubmovit Euſebius, ut pridem notaverat Scheleſtratius *Antiqu. Eccl.* Diſſ. I. Cap. 4. num. 7. ( *Ille enim primus fuit*,

*qui,omiſſo Conſulatu,mortem Chriſti anno* 18. *Tiberii collocavit*), vel inter primos, ut retulit Pagius ad annum 5525. Chriſti 32. num. 3. *Euſebius inter primos fuit, qui mortem Dominicam ab eo anno* (Conſulatus Geminorum) *removerit, cui Ephiphanius* (Haereſi 51.), *aliique poſtea adhaeſere: qua porta ſemel aperta, alii in annum Aerae Chriſtianae XXXI.,alii in annum XXXII. contulere*. Cur autem inter primos, potiuſquam primus, cenſeatur Euſebius a Pagio, exponit ipſe ad annum Chriſti 34. num. VI., ubi, cum retuliſſet, ob Decretum Synodi Caeſarienſis retrahens diem Paſſionis Dominicae ad XXIII. Martii, turbatam fuiſſe Traditionem, quae tribus prioribus Chriſti Saeculis paſſim obtinebat, referentem Paſſionis diem ad XXV. Martii (quod tamen ſupra vidimus aliter exponendum fuiſſe, & conciliari optime poſſe diem Aequinoctialem aetatis Theophili XXIII, cum die Romani Aequinoctii XXV. in Calendario Caeſaris, Caelo reſpondente annis praeſertim Biſſextilibus Saeculo Chriſti), idem Pagius (*ibi* num. VII.) obſervat etiam, receſſionem Euſebii ab anno Paſſionis, communiter recepto apud Vetuſtiores, aliunde non derivaſſe; quam ab ignoratione Conſulatuum, uti cognovit ex Sancto Auguſtino: *Quod ſi quis ſcire aveat* (ait) *unde factum ſit, ut Traditio illa de Morte Chriſti die XXV. Martii*,

*tii, annoque Aerae Chriſtianae XXIX, Conſulatu duorum Geminorum notato, rejecta tandem fuerit, reſpondebo, id proveniſſe ex nimia Hiſtoriae Gentium incuria, & ex nimia Aſtrologiae fiducia. Primum docere videtur Auguſtinus lib. 2.* de Doctrina Chriſtiana cap. 28. ubi ait: *Nam & per Olympiadas, & per Conſulum Nomina, multa ſaepe quaeruntur a nobis; & ignoratio Conſulatus, quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, nonnullos coegit errare*: & paulo poſt ait: *quot annos in hac vita Chriſtus egerit, de hiſtoria Gentium, collata cum Euangelio, liquidius certiuſque colligi.*

Remedium itaque ab Auguſtino indicatum aptabimus luxatae Chronologiae, ut oſtendamus, ejus vitio mederi nos feliciter poſſe, *ſi, ex hiſtoria Gentium collata cum Euangelio* probemus, duos Geminos Conſules reſpondere anno Vulgaris Aerae 28., quo Feria VI. (die vero XXVI. Martii) Chriſtus Dominus in Crucem actus eſt, cum Paſſionem inchoaſſet veſpera praecedenti, quae more Romano pertinebat ad diem XXV. Martii Juliani ab omnibus ferme Chriſtianis trium priorum Saeculorum attributam Paſſioni Dominicae temporibus Paſchae, juxta Euangelicam veritatem.

Concludam hujuſce Capitis limites, ſi breviter indicabo praecipuos ex antiquis Scripto-

ribus Euſebii aetatem vel attingentibus, vel ſubinde inſecutis, qui retinendos eſſe duxerunt duos Geminos Conſules, & VIII. Kal. Aprilis in Chriſti Paſſione. Lactantius Euſebio aequalis eoſdem diſerte conſignat *Inſtitutionum* lib. 4. cap. x. jam memoratus Capite praecedenti. Catalogus antiquior Pontificum Romanorum tempore Liberii Papae conſcriptus habet in Proemio: *Imperante Tiberio Caeſare, paſſus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus, duobus Geminis Conſulibus, VIII. Kal. Aprilis*. S. Auguſtinus, Severus Sulpicius lib. 2. *Hiſt.*, Auctarium Chroſici S. Proſperi Aquitani, aliique producti a ncheleſtratio & Saeculo Euſebii proximi, idem adſtruunt: (1) ubi etiam leguntur haec verba: *uſitatior Traditio eſt, Dominum noſtrum decimo quinto anno Tiberii Caeſaris, duobus Geminis Conſulibus Crucifixum*: quae ſententia conciliatur a Card. Noriſio, aliiſque cum Euangelio Lucae docente, Joannis Praedicationem ſuſceptam anno quinto decimo Tiberii Caeſaris, nempe ejuſdem Imperii Proconſularis, quod triennio ante obitum Auguſti cum ipſo commune obtinuerat tum in Syria, tum in reliquis Provinciis Romanae ditionis. Profert ſubinde Scheleſtratius antiqua Martyrologia Mſs. octavi & noni Saeculi, quorum viginti vidit Henſchenius

(1) *Scheleſtr.* Diſſ. I. cap. 4. num. 6. & 7.

nius in variis Europae Archivis aſſervata, & conſtanter aſſignant Paſſioni Dominicae VIII. Kal. Aprilis, quae proinde neceſſe eſt conſentire Conſulatui Geminorum, quemadmodum & Orientalis Eccleſiae Patres a nobis ſupra memoratos, qui eadem die xxv. Martii Juliani Incarnatum, & Paſſum affirmant Chriſtum Dominum. Pagius (1) denique obſervat, uſque ad Saeculum XIII. perſeveraſſe hujuſmodi Traditionem de morte Chriſti menſe Martio, donec Rogerus Bachonus Anglus ex ordine S. Franciſci rerum Mathematicarum peritiſſimus, (ſaltem ut ea ferebant tempora), novam rationem iniit, Chriſtumque Aprilis die tertio paſſum affirmavit: qua de re ſuſpectus habitus eſt erroris, uti narrat Wadingus in Annalibus. *Poſt aliquot annos* (proſequitur Pagius) *idem negotium Toſtatus reſumpſit, & inter capita theſium, quae ſenis in Hetruria, ubi Eugenii Quarti Curia tunc erat, diſputavit, hoc unum fuit: „ Chriſtum vigeſima quinta die Martii non eſſe mortuum, ſed tertia Aprilis, idque anno aetatis ſuae triceſimo tertio non completo, ſed ineunte „. Qua in re multorum animos commovit, a quibus de religione vehementer coepit agitari: qui, ut purgaret ſe,* Defenſorium *ſcripſit, ſeu Apologiam, in qua cap. 10. narrat, diebus ſuis, & prius in Cu-*

(1) Ad ann. 32. num. 6. 7. & 8.

*Curiis duorum Summorum Pontificum quaeſtionem banc agitatam fuiſſe, introductoſque Aſtronomos, necnon Judaeos, qui affirmavere, fieri non potuiſſe, ut die vigeſima quinta Martii Chriſtus moreretur, tum quod Aſtrologiae repugnaret, die illa in iis annis Lunam dari XV, tum quod Judaicarum ſolemnitatum terminis non minus adverſaretur.*

Pro antiqua Traditione ſtare oſtendemus etiam Aſtronomicas Tabulas, hac noſtra tempeſtate ad maximam, quam unquam obtinuerint, concordiam redactas cum Caeli motibus, poſt elaborata inſtrumenta ampliſſima & accuratiſſima, largitate Principum, & ſtudio Aſtronomorum, quae jam nihil dubitare nos ſinunt de legibus & conſtantia motuum utriuſque Luminaris. Producemus in medium demonſtrationes, ubi agendum erit de Eclipſibus, quae annos Julii Caeſaris, Auguſti, ac Tiberii, atque adeo Conſules iiſdem praefixos, oſtendunt: unde erit perſpicuum, duos Geminos Conſules pertinere ad annum 28. Aerae Chriſti Vulgaris, ut recte habet Victorius, non autem ad XXIX, cui ab aliis perperam imputantur. Interea videmur argumento hujuſce Capitis ſatisfeciſſe, cum oſtenderimus, antiquiſſimam, eamque conſtantem maxime ſententiam fuiſſe Chriſtianorum fere omnium, primis a Chriſto Saeculis receptam,

& a

& a pleriſque Patribus ſequentium aetatum admiſſam, ac documentis publicis confirmatam aequalibus aetati ejuſdem, quae ſtatuit, Paſſionem Domini contigiſſe VIII. Kal. Aprilis, duobus Geminis Conſulibus.

## CAPUT TERTIUM.

*Conſulatus C. Fuſii Gemini & L. Rubellii Gemini, quo aſſerimus Chriſtum paſſum, recte a Victorio refertur ad annum Biſſextilem Aerae Chriſti Vulgaris* 28.

LOnga nobis eſt aſſumenda diſputatio cum pleriſque Chronologis, & quidem magni nominis, qui duos Geminos Conſules concordi propemodum ſuffragio alligant Aerae Chriſti Communis anno vigeſimo nono. Unica nobis favere videtur auctoritas Victorii, qui eoſdem Conſules Cycli ſui exordio praefigit anno biſſextili ejuſdem Aerae Chriſti Vulgaris vigeſimo octavo. Re tamen ipſa conſtabit, non unico Victorii teſtimonio ſuffragari nobis Antiquitatem, ſed complura, & quidem genuina, veterum monimenta id oſtendere.

Si Epocha Chriſti Vulgaris fuiſſet in uſum Chriſtiani Populi maturius inducta, ab altero ſcili-

ſcilicet, vel tertio Saeculo Redemptionis, nec ſeris admodum calculis a Dionyſio Exiguo producta labente ſexto Saeculo, quo pleraque ſtudia literarum conciderant, atque adeo Chronologia aegrius colebatur, quam annis centenis ante Dionyſium, Cyclum ſuum edente Victorio Conſulibus Conſtantino & Rufo, hoc eſt Aerae Chriſti Vulgaris 457; vel ſaltem, ſi paris eſſent antiquitatis utraeque rationes, Dionyſiana, & Victoriana; diutius haererem anceps, utri me addicerem, libratis quodammodo momentis conjecturarum, quae a jure viciniae utrique pares miniſtrarentur. Verum, cum Victorius Saeculo ſolido praecedat Dionyſium, eique Seculo major ſtudiorum auctoritas ſuppetat, prae Dionyſiano; fateor me fidentius adhaerere, in recipiendo teſtimonio hiſtorico, ei, qui propius ad aetatem acceſſit, & pluribus adminiculis utebatur inveſtigandae hiſtoricae veritatis. Scripſit Victorius, ſtante adhuc Imperio Romano, & vigente conſuetudine ſignandi annos Conſulibus Ordinariis. Dionyſius annos Chriſti collegit, Occidentali Imperio a Gothis everſo, & Conſulibus perſaepe in Oriente tantum renunciatis. Ea vero aetate quo loco eſſet Faſtorum Conſularium notitia, plus nimio diſcimus ex Caſſiodorio ejus Aevi doctiſſimo, eoque nomine a Theodorico Rege Scriniis Literarum admoto,

& Se-

Digitized by Google

& Senatoria Dignitate,Conſulatu, & Praetorii Praefectura aucto. Caſſiodorii Chronicon lydius eſt lapis, ubi Dionyſiani Saeculi Chronologia metallum ſuum prodit, & ſequioris venae indicium, etiam lippientibus oculis manifeſtat: adeo ut Panvinius circa finem ſuae Praefationis ad Faſtos loquens deCommentario per Joannem Cuſpinianum edito ad Faſtos Caſſiodorii, ita ſcribat : *Caſſiodorii Chronicum excellenti Commentario explicavit*. Multo melius meo judicio feciſſet, ſi ejus Operis auctor ipſe eſſe maluiſſet. Nam Commentarium bonum in librum ſine dubio eo labore indignum conſcripſit.Dum enim Caſſiodorium explicat, & ceteros Auctores, jure ab eo in temporum ratione differentes, concordare conatur, forte non cognovit, Caſſiodorium nullos Auctores ſequutum , ſed neſcio qua ductum ratione ita eos Conſules digeſſiſſe, ut multa Conſulum Collegia praetermiſerit, aliquoſque annos interpoſuerit, qui ſtante veritate nullo modo addi debebant.

Veruntamen agamus aequius in tam parata occaſione declinandi ad Victorium, ſola aetatis conditione ſpectata. Provocemus ad fontes, unde Faſtorum Collectores mutuati ſunt ſeriem Collegiorum, annos ſingulos aperientium: nec jam a Victorio,aut Dionyſio,ſed a genuinis monumentis aetatum ſingularum petamus Con-

X ſules

ſules unicuique anno Aerae Chriſtianae aſſignandos.

Ab his erit capiendum experimentum, qui charactere certo ſunt inſigniti, nullique alteri aptando: cujuſmodi eſſe ſolent Eclipſes Luminarium, aut documenta Scripturae aequalis aetatis, codicibus, metallis, marmoribus commendata.

Inter haec autem poſtremi generis documenta, nemo negaverit praeferenda eſſe omnibus marmora Capitolina ſub Auguſto inciſa, quae adhuc in fragmentis praeſervata, & doctiſſimorum hominum commentariis illuſtrata, magna ſui parte ſuperſunt. Utinam vero eadem cura erudiendae poſteritatis tenuiſſet reliquos Imperatores, effeciſſetque, ut ipſi, exemplo Auguſti, Faſtos marmoreos tanta felicitate & laude perductos a Verrio Flacco ad aetatem ſuam, continuata ſerie protrahendos mandaſſent ad Saecula ſubſecuta. Eadem plane concordia reſponderent Annalibus Hiſtoricorum Tabulae, & Faſti Caſſiodorii, & aliorum, quam retinent per aetatem Auguſti, ac Tiberii. Verum in Cajo Tiberii Succeſſore ita diſcrepant, ut perſpicuum ſit, jam tum deſiiſſe Principes augere Faſtos Verrianos; aut certe illius memoriae, aeque ac Imperii, pertaeſum Populum Romanum; & Claudium Patruum, qui proximus ab illo fuit Imperator, noluiſſe

luiſſe infauſto nomine Forum dehoneſtari, cum & illius Acta reſciderit, ut cap. xi. narrat Suetonius. Nec minori diligentia Claudius abolevit memoriam illorum Conſulum, qui Cajo obtruncato Senatum convocaverunt in Capitolium, ubi communi ſtudio libertatis aſſerendae eo proceſſum fuit (1), *ut quidam ſententiae loco abolendam Caeſarum memoriam, ac diruenda Templa cenſerent*. Quare etiam Claudius, *imperio ſtabilito* (uti refert idem Tranquillus in Claud. cap. 11.) *nihil antiquius duxit, quam id biduum, quo de mutando Reipublicae ſtatu haeſitatum fuerat, memoriae eximere. Omnium itaque factorum, dictorumque in eo, veniam, & oblivionem ſanxit, ac praeſtitit*. Hinc facile credam eſſe repetendam cauſam, cur his potiſſimum annis tanta obſervetur diſcrepantia Faſtorum Caſſiodorii, & Scriptorum, & nullae Tabulae Conſulares poſt eam aetatem fuerint in Urbe repertae; cum ceteroqui fragmenta marmorea complura fuerint effoſſa Fratrum Arvalium, quae Chronologiam ejuſdem Collegii, adſcriptis Conſulibus, exhibent: non ſecus ac in Municipiis, & Coloniis ejuſmodi Faſtos non ſemel reperiri contigit, ubi recenſentur, praefixis Romanorum Conſulum nominibus, indicationes Magiſtratuum ejuſdem anni, ejuſque



(1) Sueton. in Calig. cap. ult.

Municipii, aut Coloniae, ad quam pertinebant. Praeter editos a Grutero, vidimus ante annos xx. fragmentum in agro Caſinate Faſtorum Municipalium, ſpectantium ad aetatem Veſpaſiani: quod Illuſtris memoriae Praeſul Jo: Ciampinius oblatum ſibi dono liberali Reverendi Admodum Patris D. Eraſmi Gattolae Prioris Caſinatis, inde Romam advexit, & nos edidimus in notis ad Anaſtaſium Bibliothecarium.

Cum itaque Faſti marmorei deſiderentur ab aetate Caji, ſive a Populo Romano diſturbati, & a Claudio ſtudioſe luxati nec impoſterum reſtituti; ſive incendio Capitolii, & Fori, bello Vitelliano conſumpti; ſtatuendum eſt, nos carere documentis autographis marmorum poſt Auguſtum, quae ſeriem Conſulum auctoritate publica digeſtam oſtendant & comprobent. Requirendum idcirco eſſe a Scriptoribus ſupplementum ejus autographi documenti, quo, ad ſuprema Auguſti tempora feliciter perducto, perfruimur.

Supplet vero defectum Faſtorum copia numiſmatum per inſequentes Aetates, non ſine quodam foenore eruditionis. Nam cuſi paſſim nummi tum Romae, tum in Syria, Aegypto, Aſia, aliiſque Provinciis, certas Epochas, cum annis Imperatorum conſignatas, nobis miniſtrant: quorum ope conteſtem & vindicem

Ur-

Urbanae Chronologiae univerſum Romanum Orbem ſortimur, & quidem publicis ac genuinis monimentis, quae Amanuenſium & Librariorum injuriis non patuerunt.

Quin etiam marmoreis Faſtis non adeo deſtituimur, ut complures eorundem reliquias nobis non ſuggerat Secundum ac Tertium Saeculum Aerae Chriſtianae in Tabulis Fratrum Arvalium; ubi, cum aliquot Collegiis Conſulum, quibus novi Fratres cooptati ſunt, annus ab Urbe Condita fuit conſignatus, quemadmodum inſpicimus in fragmento adhuc ſuperſtite in Secretario Baſilicae Vaticanae per Fabrettum (1.) edito. Apud Gruterum etiam alia fragmenta Fratrum Arvalium recenſita conſpiciuntur Saeculo ſuperiore.

Agendum itaque alacrius eſt, nec deſperandum de teſtimoniis aequalibus cuique aetati etiam poſt illas, ubi Faſti marmorei Capitolini defierunt; praeſertim cum noſtri Operis inſtituto ſufficere poſſint ea documenta, quae Tiberiana,& Cajana tempora metiuntur.

Genus alterum documentorum Chronologiam ſtatuentium reſidet in Eclipſium obſervatione, aliorumque motuum caeleſtium; quibus arte humana vis inferri cum nequeat, certiſſima lege datur, commenſum Temporum demon-

(1) Vet. Inſcript. pag. 443. nunc vero in Capitolium translato, quod vide in noſtra Tab. I. Saeculi I. num. 10.

monſtrare. His autem ſatis abundat hiſtoria Saeculis Chriſtianis, praeſertim cum Romae, poſt ordinationem anni Juliani, Aſtronomi & Chronologi plures, etiam Saeculo priorum Caeſarum, verſarentur; Trajano autem Imperante, Menelaus in Urbe, & ſub Antoninis Ptolemaeus Alexandriae, Obſervationes Caeleſtes ediderint, alligatas annis eorundem Principum, unde Saeculi Secundi ſpatia diſtincte partimur; ſequenti autem Saeculo ſuperſit teſtimonium, utrumque genus documenti complexum, in baſi S. Hippolyti Epiſcopi & Martyris annum primum Severi Alexandri, cum Aerae Chriſtianae Communis 222., ex die Lunae quartadecima Idibus Aprilibus, Sabbato, certo certius oſtendens; & numiſmata utriuſque Philippi, annis 25. percuſſa poſt initum Imperium ab Alexandro, adeoque poſt eum lapidem inſculptum, Urbis Conditae millenarium oſtendant. Excerpemus ex Chron. Tom. II. Anaſt. Biblioth. per nos inſtructo hujuſmodi documentis, ea, quae argumentum iſtius Capitis proxime attingunt. Si quis autem velit univerſa perpendere, quae ibidem attulimus, conſulere poterit eandem Chronologiam, quam idcirco duximus Prolegomenis inferendam in Editione Libri Pontificalis.

Conſtat igitur, annum Aerae Chriſti Communis 222., Idibus Aprilibus, Sabbato prae-

praetuliſſe Lunam xiv. Paſchalem ex computis Aſtronomicis juxta omnes Tabulas.

Conſtat ex lapide S. Hippolyti Epiſcopi & Martyris, eundem annum fuiſſe primum Imperii a Severo Alexandro ſuſcepti. Quotus autem computaretur ab Urbe Condita, demonſtratur facile ex Nummis & Lapidibus antiquis hac methodo.

Severus Alexander, qui eodem anno poſt necem Elagabali aſſumpſerat cum Imperio Tribunitiam Poteſtatem, quotannis iterandam more Imperatorum (ut a Dione percepimus, & omnes Antiquarii noverunt), in Nummis conſignat TR. POT. XIIII., qua perfungebatur anno Aerae Vulgaris Chriſti 235. ex die II. Nonas Martii, nempe die VI. Martii; ut ex S. C, quod ex Actis Urbis ad pridie Nonas Martias, ubi acclamationes Alexandri Severi Lampridius retulit, paſſim colligunt Antiquarii & Chronologi caſtigatiores cum Emo Noriſio in *Epiſtola Conſulari*. Eodem anno 235. Tribunitiae Poteſtatis ſuae XIIII paucis diebus geſtae, occiſus eſt Alexander die xv. Kal. Aprilis, ſive 18. Martii, & ad Imperium evectus Maximinus; qui Nummos cum obſignet TR. POT. IIII. neceſſe eſt vitam produxerit ultra diem xv. Kal. Aprilis anni 238., quo anno, poſt ejus caedem Aquilejae a militibus patratam, Pupienus & Balbinus

binus Auguſti cum Gordiano Caeſare Romam reverſi, atque heic veluti triumphantes excepti, dum Ludis Capitolinis per dies aeſtivos omnium mentes detinerentur, a militibus ſeditioſis ad necem depoſcuntur. Hic vero annus Ludorum Capitolinorum, & imperantis Gordiani primus, inſignis eſt multiplici charactere, uno quidem Caeleſti, nempe Solaris deliquii Romae ſpectati, ubi Julius Capitolinus affirmat extitiſſe tantum, ut nox crederetur, nec ſine luminibus accenſis quidquam agi poſſet; reliquis vero characteribus per homines inſtitutis, nempe Epochis plurimis, a Cenſorino tunc ſcribente aureum Libellum de Die Natali (1) ita recenſitis: *Secundum quam rationem, niſi fallor, hic annus (cujus veluti index & titulus quidam eſt Ulpii & Pontiani Conſulatus) ab Olympiade prima eſt* 1014., *ex diebus dumtaxat aeſtivis, quibus Agon Olympius celebratur: A Roma autem Condita* 991. *& quidem ex Parilibus, unde Urbis anni numerantur: Eorum vero annorum, quibus Julianis nomen eſt,* 283, *ſed ex die Kal. Januarii, unde Julius Caeſar Anni a ſe conſtituti fecit principium. At eorum, qui vocantur anni Auguſtani,* 265. *perinde a Kalen. Jan. quamvis in ante diem* 16. *Kal. Februarii Imp. Caeſar D. F. Auguſtus ſententia Munatii Planci a Senatu, cete-*

(1) Cap. 7.

*ceteriſque Civibus appellatus eſt, ſe VII. & M. Vipſanio Agrippa III. Coſs. Sed Aegyptii qui biennio ante in poteſtatem ditionemque Populi Romani venerunt, habent Auguſtorum annum 268. Nam ut a Noſtris, ita ab Aegyptiis quidam anni in literas relati ſunt, ut quos Nabonnazarii nominant, quod a primo ejus Imperii anno conſurgant, quorum hic 986 eſt. Item Philippi, qui ab exceſſu Alexandri Magni numerantur, & ad hunc uſque perducti, annos 562. conſummant. Sed horum initia ſemper a die primo menſis ejus ſumuntur, cui apud Aegyptios nomen eſt Θώθ qui hoc anno fuit ante diem VII. Kal. Jul. Cum abhinc annos centum, Pio & Bruttio Praeſente Coſs. iidem dies fuerint ante diem XII. Kal. Auguſti, quo tempore ſolet Canicula in Aegypto facere exortum.* Haec habet Cenſorinus de anno Ulpii & Pontiani Conſulatus cap. 7. De eodem vero in fine cap. VI. ita ſcribit: *Rurſus tamen Annus idem Magnus per Capitolinos Agonas coeptus eſt diligentius ſervari. Quorum Agonum primus a Domitiano inſtitutus fuit, Duodecimo ejus & Ser. Cornelii Dolabellae Conſulatu. Itaque hoc nunc anno, quo celebratus eſt Agon, undequadraginta numeratur.*

De Characteribus ſecundi generis a Cenſorino expoſitis agemus infra, ſi prius expenderimus characterem anni a Caeleſti obſervatione

petitum, nempe ab Eclipſi Solis, quam Julius Capitolinus alligat anno Ludorum Capitolinorum,& primo Gordiani.

Julius Capitolinus vel nondum natus fuerat, cum Gordianus eligebatur, vel ita proximus erat infantiae, ut Eclipſim Gordiani obſervare, & in literas referre, eo quo contigerat tempore, minime valuerit. Nam in praefatione vitae Gordianorum, cum tres fuiſſe aſſeverat, non duos, ut quidam imperiti Scriptores ejus aetate loquebantur, ejus rei documentum non profert ſuo experimento, ſed teſtimonio Arriani & Dexippi Graecorum hiſtoricorum. Praeterea Voſſius ex ejuſdem Vitis complures Conſtantino Auguſto dicatas cum obſervet, ſub eodem floruiſſe nos docet: quemadmodum & Mergellinus in *Tab. Hiſt. univerſali* floruiſſe affirmat ab anno 300. Aerae Chriſti, ad annum 330, totis annis 92. diſtantem ab eo, quo Eclipſis Solis ab ipſo enarrata contigerat. Mirari propterea non debemus,ſi,duae cum fuerint Solares Eclipſes, (prima, Chriſti 237, quo anno Gordianus Pius adlectus eſt Caeſar, altera vero 238, quo, caeſis inter ludos Capitolinos Pupieno & Balbino, ipſe Auguſtus proceſſit), Hiſtoricus ille obtrudat hanc initio Imperii obſervatam, & partialem,pro altera, quae totalis Romae ſpectabatur anno praecedenti 237., quo Gor-

Gordianus Caeſaris nomen ab Auguſtis ſenibus obtinebat. Omnes Chronologi diſtinguunt hanc duplicem Eclipſim. Nemo tamen alterutram Romae totalem exhibet. Nam Calviſius cum Buntingo ad Tabulas Prutenicas priorem exhibet die 12. Aprilis anni 237. horis 4. poſt meridiem, in qua defeciſſe putat digitos 10.46'. Secundam vero ſpectatam afferit Romae 238. die 2. Aprilis horis 4. ante meridiem, deficientibus digitis 9.33'. (1) Petavius ex propriis Tabulis priori aſſignat horam 16. 51. poſt mediam noctem, & digitos occultationis 10; poſteriori autem horam 7. 31. 30. poſt mediam noctem, & digitos Eclipticos 8. 15'. fere. Nos ex Tabulis noſtris totalem reperimus contigiſſe primam Eclipſim die 12. Aprilis anno 237. horis duabus poſt meridiem: unde fit, ut ſine luminaribus accenſis per aliquot minuta temporis quidquam agi Romae non potuerit, quemadmodum perſcriptum reperit Capitolinus ab Aniano, & Dexippo, aliiſve Hiſtoricis tunc florentibus & obſervantibus: nam & in Eclipſi plane ſimili ſpectata aetate noſtra 1706. Maji 12, quae totalis extitit Helvetiis, & interpoſito terrarum tractui Pariſios uſque, in horologiis automatis numerum minutorum, ac ſecundorum perſpicere ibi non valuerunt



(1) Vide quae de ſimili Eclipſi in Britannia ſpectata anno 1652 refert Wing. Aſtronomiae Britan. pag. 358. & 359.

runt Aſtronomi complures niſi adhibito lucernarum praeſidio per aliquod temporis intervallum,quo totus latebat Solaris diſcus; cum tamen nobis Romae ſpectantibus & obſervantibus, ubi Eclipſim ſubiere digiti10.50,unicusSolis digitus a deliquio immunis lucem abunde miniſtraret ad omnia abſque lucernarum ſubſidio peragenda. Anno igitur 237,quo Caeſaris nomenGordiano delatum fuit,Eclipſis totalisRomae ſpectata,adamuſſim reſpondet numeris noſtrarum tabularum, quas(ſi vacabit)in fine hujusLibri adjiciemus,ut integrum ſit cuique per eaſdem explorare, quaſcumque voluerit Eclipſes.Quod autem contigit deliquium an.238.die 2.Apr.partiale fuit etiam ex Tabulis, quas ipſi ſequimur, & probamus omnium Eclipſium experimentis. Ex hoc igitur caeleſti charactere ſatis confirmatur annus 237. Caeſarei tituli Gordiano delati,& annusAgonis Capitolini 238. inſigniti tot Epocharum characteribus a Cenſorino, qui tunc florebat Ulpiano & Pontiano Coſs, & ſpectabat Ludos quadriennii undequadrageſimi, ineuntis poſt primum Agonem inſtitutum Domitiano XII & Dolabella Conſulibus, eodemque primo Imperii a Gordiano ſuſcepti poſt caedem Pupieni & Balbini, Ludos eoſdem undequadrageſimos proxime ſubſequutam. Hinc ad millenarium Urbis annum tuto progrediemur per Nummos,

& la-

& lapides antiquitus inciſos. Nam annum Ulpii & Pontiani Conſulatus, eundemque initi a Gordiano Imperii primum, Aerae autem Chriſti (ut ex Eclipſi novimus) 238, Cenſorinus, qui tunc Romae ſcribebat, a Palilibus numerat ineuntem Urbis Conditae 991.

Gordianus, poſt caedem Pupieni & Balbini intra Junium menſem Auguſtus dictus, & Pont. Max. ac Trib. Poteſtate donatus, & Conſul deſignatus, aperuit annum inſequentem, Collega Conſulatus aſſumpto M. Acilio Aviola, quo anno, TR.POT. prima circa Julium completa, ſecundam aſſumpſit, ut docent Inſcriptiones ſequentes, & Nummi. Inſcriptiones 1. & 2. fol. 272. apud Gruterum, & apud Panvinium in Faſtis, & Reineſium p. 315. Nummi vero paſſim apud Occonem & Mediobarbum, alioſque habentur. Apud Gruterum allegata pag. 272. num. 1. Inſcriptio, extat Romae in Palatio Principum Farneſiorum ad Campum Florae in baſi quadrata, e Thermis Antonianis eo tranſlata, quae ſic habet:

... P. CAESARI<br>
... ONIO . GORDIANO<br>
... FELICI . INVICTO<br>
AVGVSTO<br>
PONTIF. MAX. TRIB. POT. II<br>
COS. PROCOS. P. P.

NV-

NVMISIVS . QVINTIANVS . V. P
AB . EPISTOLIS . LATINIS
DEVOTVS . NVMINI
MAIESTATIQVE EIVS.

Eadem pagina Gruteri num. 2. alia, quae allegatur Inſcriptio, in Aula Principis Tranſilvaniae aſſervatur, & ſic habet:

IMP. CAES
M. ANTONIO . GOR
DIANO . PIO . FELICI
AVG. PONTIF. MAX
TRIB. POT. II. COS. P. P
COLONIA. VLPIA
TRAI. AVG. DACIC
SARMIZ. METROP
DICATISSIMA . NV
MINI . MAIESTATI
QVE . EIVS.

Nummi pariter exprimunt TR.POT.VII. ejuſdem Gordiani, quam inire debuit anno VI. completo poſt ſuſceptum Imperium, nempe intra Junium anni 244. Aerae Chriſti Vulgaris. Tum vero in expeditione Perſica a Philippo, quem creaverat Praefectum Praetorio, nefarie obtruncatur ante XV. Kal. Julii: quo tempore Philippus Pater, aſſumpto Imperio ac Tribunitia Poteſtate, Philippum Filium utriuſque Conſortem

ſortem renunciat: quibus propterea Inſcriptiones ac Nummi dicantur M. Philippo Patri Cos. Deſig. Inſcriptiones quidem apud Fabrettum pag. 690. num. 112. cap. X., & Sponium *Miſcell.* pag. 273. Inſcriptio apud Fabrettum pag. 690. in columna Milliaria Florentiam advecta ex Africa, ſic habet:

IMP. CAES
M. IVLIVS. PHILIP
PVS. INVICTVS. PIVS
FELIX. AVG. PONT
MAX. TRIB. POT. COS
DESIG. P. P. PROCOS. ET
M. IVLIVS. PHILIPPVS
NOBILISSIMVS. CAES
...... VIRTVTIS
....... .. ILIA

Anno igitur proximo, nempe Aerae Chriſti 245., quo Tribunitiam Poteſtatem primam explevit, ſecundam ſuſcepit uterque Philippus inter finem Maji, & initium Julii, Coſs. Philippo & Titiano, quibus Magiſtratum gerentibus, poſita Inſcriptio apud Sponium:

PRID. KAL. OCTOBR.
IMP. PHILIPPO. AVG.
ET. TITIANO. COS

Triennio poſt, nempe Chriſti 248. numerante Phi-

Philippo Patre Trib. Pot. IV. ante Junium, & V. poſt Junium, Ludi Saeculares in Urbe peracti ſunt ob milliarium Saeculum; quo TR. POT. IIII (quam ſcilicet obtinebant Pater, & filius die XI. Kal. Majas, ipſis Parilibus, ſeu Natali Urbis) dum Cos III. Pater obſignat in Nummis, filius cum eadem TR. P. IIII. jungit Conſulatum II. In ipſis autem Nummis milleſimus Urbis annus completus, dicitur SAECVLVM MILLIARIVM; & novi Saeculi initium, ſive annus U.C. 1001 qui tum inchoabat, dicitur SAECVLVM NOVVM. De Tribunitia Poteſtate IIII. utriuſque Auguſti, numerata a Parilibus ejus anni, quo Conſulatum Pater III. Filius II. gerebant ob milleſimum Urbis annum celebrandum, (cum proxime praecedenti Conſulatum geſſiſſent, ille ſecundum, hic primum, & in fine ejuſdem Conſulatus cum deſignarentur Coſs. ille III. hic II. menſe Decembri) dubitare non ſinit aenea Tabella celebris, quam apud Franciſcum Antonium Picchiatum olim vidimus Neapoli inter pretioſa ejuſdem cimelia, & pridem illuſtrarunt notis clariſſima Antiquitatis lumina Fabrettus (1), & Sponius (2), ubi ad V. Kal. Januarias ambo leguntur hiſce titulis inſigniti:

IMP.

(1) Inſcript. Antiq. pag. 687. 96.
(2) Miſcell. pag. 244.

IMP. CAESAR . M. IVLIVS . PHILIPPVS . PIVS . FELIX. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. IIII. COS. III. DES. P. P. PROC. ET. IMP. CAES. M. IVLIVS. PHILIPPVS. PIVS. FELIX . AVG. PONT. MAX. TR. POT. IIII. COS. II. DES. P. P. &c.

correctius apud Sponium, quam in Editione Fabrettiana, uti apparet ex repetitione Conſulatus circa finem ejuſdem Inſcriptionis:

AD . V. KAL. IAN. IMP. M. IVLIO . PHILIPPO . PIO . FELICE. AVG. COS. DES. III. ET . IMP. M. IVLIO. PHILIPPO. PIO . FELICE . AVG. COS. II. DES. COS.

nempe *ad V. Kal. Januarias Imperatore M. Julio Philippo Pio Felice Auguſto Conſule deſignato tertium & Imperatore Marco Julio Philippo Pio Felice Auguſto Conſule ſecundum deſignato Conſulibus*.

Conſtat igitur per hanc decennii conſecutionem non interruptam, ex anno ſcilicet Conſulatus Ulpii & Pontiani Aerae Chriſti 238, quo Cenſorinus annum U. C. 991. ex Palilibus numerabat, caeſis Pupieno & Balbino, Gordianus Pius ſuſcepit Imperium, ad annum 248., quo Conſules Philippus Pater III. & Philippus Filius II. celebrarunt Palilibus anni milleſimi ab Urbe Condita Ludos Saeculares, & exordium novi Saeculi, ſive anni primi poſt milleſimum

ineuntis, conſtat, inquam, documenta marmorum & Nummorum eadem aetate ſignatorum in Urbe, collata cum characteribus Eclipſium, quae priorem illum terminum certo definiunt, illigantque annis Aerae Chriſti Vulgaris jam memoratis, nihil penitus dubitationis relinquere, quin optime connectantur cum aliis characteribus anni primi Severi Alexandri, Aerae Chriſtianae 222 Idibus Aprilibus; a quo termino Millenarius Urbis completus diſtat (uti tot monumentis genuinis probatum fuit) annis 28. & diebus VIIII, quot nempe dies ſupra annos ſolidos menſis Aprilis numerat ab Idibus ad Palilia.

Cum ſatis feliciter demonſtratio deſcenderit ab exordio Severi Alexandri ad Ludos Saeculares utriuſque Philippi Auguſti, annumque Urbis milleſimum; periculum facere oportet, num pari felicitate poſſit aſcendere ab eodem exordio Severi Alexandri, ſive a Decimaquarta die Lunae Paſchalis Idibus Aprilibus Sabbato anni Aerae Chriſtianae 222. ad quartamdecimam Paſchalem anni Salutaris, qua, duobus Geminis Conſulibus, cum Tertulliano, Victorio, aliiſque Patribus VIII. Kal. Aprilis paſſum Dominum numeramus anno Aerae Chriſtianae 28.

Ut id praeſtaremus Hiſtoricis probationibus

bus,conſulendi eſſent Cycli per eandem aetatem vigentes in Syria: quorum ſcilicet indicio incolae Phoeniciae, Palaeſtinae, Aegyptii, ac praeſertim Judaei Lunaris anni ſyſtema civile attemperarent. Verum in aſſerendo cyclorum uſu apud Judaeos illius aetatis non mediocris eſt inter Scriptores diſsenſus. Quidam enim putant, Cyclum LXXXIV. annorum jam tum viguiſſe; cum & Petavius in notis ad Epiphanium (*Haereſi LI.pag.166.*) proponat Tabulas Cycli Judaici,exordio ducto ab anno ante Aeram Chriſti 51; alii contendunt, nullum apud Hebraeos tunc temporis viguiſſe Cyclum Lunarem, ſed ex phaſi Neomenias indici conſueviſſe (1). In hoc auctorum diſsidio veritati propius me acceſſurum ſpero, ſi affirmem, Tiberio imperante, anni Juliani methodum apud pleraſque Provincias Romani Orbis fuiſſe receptum. In Aegypto certe conſtat ex Cenſorino, jam tum ab Imperio Auguſti Alexandrinos, relicto Aegyptiorum anno vago, primam Thoth perpetuo alligaſſe diei 29. Auguſti Juliani. Cardinalis Noriſius nunquam ſine laude memorandus Diſſertatione prima *de anno Macedonum* cap. primo pag. 17. probat ex teſtimonio Galeni *Comm. in lib. I. Hippocr. Epidemiorum*, Aſiaticos Proconſulares ex Cardinibus



(1) Vide Card. Noriſ. Diſſ. 2. de Paſch. Lat. Cyclo pag. 93. Edit. Norimb.

Digitized by Google

nibus Aequinoctii Autumnalis annum auſpicari, nempe VIII. Kal. Octobris.

Cum anno autem Solari Lunae rationes ſcite alligaverat C. Julius Caeſar in ſuo Kalendario per Cyclum Octagrammum, quem adhuc inſculptum autographo in Farneſianis Aedibus aſſervato explicuimus, ac demonſtravimus, Luminarium motibus concinne reſpondere, ex collatione cum Eclipſibus ejus aetatis, quotquot a a Scriptoribus memorantur. Quocirca ſi oſtendero juxta eundem Cyclum incidiſſe decimam quartam diem Lunae Paſchalis Judaeorum anno Aerae Chriſti Vulgaris 28 in diem 26. Martii Juliani (prout ex eodem Cyclo provenit Plenilunium die 13. Aprilis anno 222., qua Plenilunium elicitur etiam ex Tabulis Aſtronomicis); videbor documentis hiſtoricis ſatis genuinis confirmare ſententiam Victorii, qui anno Aerae Communis 28. crucifixum aſſerit Chriſtum Dominum die VII. Kal. Aprilis, Feria VI, poſtquam veſpera praecedenti, quae Romano more pertinuit ad VIII. Kal. Aprilis, Paſſionem inchoaverat.

Pagina igitur 22. Diſſertationis noſtrae *de Kalendario & Cyclo Caeſaris* oſtenſum fuit, anno Chriſti 27. reſpondiſſe Autumnali cardini Lunationum literam C 4., quae Neomeniam proximam ab Aequinoctio ſignat die 18. Octobris.

bris. Romani in Provinciis degentes, ſi ex CycloCaeſaris civiles Neomenias auſpicari vellent, ea die fuerant tum in Palaeſtina,tum in Aegypto conſignaturi Novilunium ſecundum cardinis Autumnalis, proximum ab Aequinoctio, adeoque etiam Judaei Novilunium ſecundi menſis anni civilis Markeſcan inde ordiri debuerant, ut Romanorum ex cyclo ſuas Lunas civiles ordinarent. Dies poſtrema ſecundi menſis Judaeorum, qui cavus eſt, reſpondet 15. Novembris. Inít Kasleu die 16. Novembris; Thebet 16. Decembris; Shebet 14. Januarii Aerae Chriſti 28.; Adar 13. Februarii: & cum annus Julianus 28. ſit Biſſextilis, adeoque Februarius numeret dies 29., Neomenia Paſchalis Niſan incidet in diem 13. Martii: cui ſi addideris dies 13. erit dies 14. Lunae Paſchalis eadem ac 26. dies Martii Juliani, ſive VII. Kal. Aprilis, qua Dominus Crucem ſubiit, ex Victorii ſententia, & noſtra, cum Paſcha celebraſſet, & Paſſionem inchoaſſet veſpere praecedenti, quae veſpera more Judaeorum ad diem conſequentem referebatur, ſed more Romano ad diem VIII. Kal. Aprilis pertinebat.

Chronologicus iſte commenſus duorum Paſchatum ex marmoreis documentis eorumdem aetate inciſis, ſatis docet, recte aſcendere Demonſtrationes noſtras Hiſtoricas ex Paſchate

S. Hip-

S. Hippolyti anno 222., ad Paſcha ſalutis noſtrae anno 28. certis characteribus, definientibus utrumque terminum. Ne quis tamen dubitet, an duo Gemini Conſules tantumdem diſtent ab anno inchoati ab Alexandro Imperii, quantum annus 28. Aerae Communis elongatur ab anno 222., eſt nobis hoc intervallum Severi Alexandri, a praedictis Conſulibus, genuinis ex monumentis aetate noſtra ſuperſtitibus oſtendendum.

Probavimus paulo ante ex marmoribus, & Nummis, collatis cum Eclipſibus aetate Gordiani ſpectatis, annum Aerae Chriſti 248. fuiſſe ante xi. Kal Maji milleſimum Urbis Conditae; & ab xi. Kal. Maji numerari coepiſſe annum primum ineuntem novi millenarii. Numerabatur itaque Romae ante Palilia anni Aerae Chriſti 222, ſive primi illius, unde Imperium auſpicatus eſt Alexander, U. C. 974., & a Palilibus, ſive ab xi. Kal. Maji, U. C. 975. Primus vero annus Severi Alexandri cum coeperit poſt caedem Elagabali, qui in Nummis conſignat TR. P. V. a ſe paucis diebus geſtam eodem anno Chriſti 222; neceſſe eſt initium Elagabali, & ſupremos dies Macrini figere anno Chriſtianae Aerae 218., uti communi calculo Chronologi & Antiquarii concedunt. Quare & Elagabalus anno proximo 219 Faſtis nomen dedit, collega Sacerdote. Eo-

Eodem autem anno 219. poſt Palilia coepit annus U. C. 972, uti teſtatur Inſcriptio apud Gruterum pag. ccc,

IMP. ANTONINO . II. ET . SACERDOTE . II. COS.

P. R. C. ANN. DCCCCLXXII.

Biennio autem ante ibidem notatur annus cooptati inter Fratres Arvales Macrini, tum primum imperantis poſt Palilia, Vulgaris Aerae Chriſti 217. ( neque enim ante Palilia cooptari potuit Romae is, qui Carrhis agebat in Meſopotamia cum Caracalla, quando iſte confoſſus, vacuum Imperium ſucceſſuro reliquit die VI. Aprilis, ſemimenſe ante Palilia ) hiſce Conſulibus, qui recte collocantur in Faſtis, uti docet Eminentiſſimus Noriſius *Epiſtolae Conſularis* pag. 129, ubi nomen Macrini, eraſum ab Elagabalo, docuit ita ſupplendum:

IMP. ....... (m. Opel.) SEVERVS ....... (macrinus)

COOPTATVS

C. BRVTTIO . PRAESENTE . T. MESSIO . EXTRICATO

II. COS

P. R. C. ANN. DCCCCLXX

An-

Annus itaque interpoſitus utrique Collegio, fuit Chriſti 218., & Macrini emortualis, qui Conſulem tulit Diadumenianum Macrini filium, & Imperii collegam, abraſum deinde ab Elagabalo, inoffenſo nomine alterius Conſulis Coclatinii Adventi, quod adhuc legitur in vetuſto lapide Romae ſuperſtite in vinea Fonſeca,

DEDIC. PR. ID. MART
IMP....... AVG. COS
ET
COCLATINIO. ADVENTO

Idem ante Palilia numerandus fuit U. C. 970. & poſt Palilia 971.

Hoc eodem anno, ante caedem Macrini, & Diadumeniani, Tripolitae in Syria numerabant Aerae Seleucidarum annum 529, coeptum ab Autumno praecedenti, ut oſtendit ſaepe laudatus Eminentiſſimus Noriſius, qui obſervat cum Vaillantio, alios Nummos a Tripolitis cuſos Trajano, & Hadriano, ſignatos Aera in utroque Principe 428. per literas HKT profecto ante Autumnum, cum Trajanus obierit ante diem III. Idus Auguſti. Evidenter intelligimus ex hiſce Nummis, ab aeſtate qua obiit Trajanus, ad aeſtatem anni, quo caeſus fuit Macrinus, numerari annos 101.

Fuerit igitur annus emortualis Trajani

Aerae

Aerae Chriſti Vulgaris 117., idemque Urbis Conditae a Palilibus quidem 870, ante Palilia vero 869.

Ne quis autem dubitet anno caedis Macrini ante Autumnum a Tripolitis numeratum fuiſſe Aerae ſuae 529, proferam Nummum e Gaza Eminen. Card. Otthoboni praeclariſſimum & integerrimum, ubi caput Macrini laureatum,& prolixa barba ornatum ( quam certe barbam Macrinus non oſtentabat ante Autumnum anni praecedentis quinto menſe poſt caedem Caracallae, ſed alere coepit, cum ad hyberna regreſſus eſt Antiochiam,pace compoſita cum Parthis, & ceteroqui moneta ipſi cuſa non fuerit, ut Lampridius aſſerit in Diadumeniano,niſi poſt juſſionem Senatus ) inſignitur literis ΑΥΤ ΚΑΙϹ ΜΑΚΡΕΙΝΟϹ ϹΕΒ. In averſa vero parte viſitur Tripolitarum Templum, & characteres iſti leguntur, ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ ΘΚΦ *Tripolitarum anno quingenteſimo vigeſimo nono*.

Ante annos igitur 101. dum Tripolitae ante Autumnum ſignarunt Nummos Trajano, & Hadriano Imperium exordienti,notatos Epocha 428, fluebat annus Aerae Chriſtianae 117., ante Palilia U. C. 869., poſt Palilia 870.

Hunc ipſum Trajani emortualem annum in Aera Chriſti fuiſſe, demonſtrat obſervatio caeleſtis,peracta Romae a Menelao die 15.

Mechir, ſequente 16, ſive XI. Januarii anno primo Trajani, cum Lunae limbus hora X. noctis contegeret Spicam Virginis, uti Ptolemaeus refert *Almageſti* lib. 7. cap. 3. Juxta omnium Aſtronomorum calculos incidit obſervatio in praedictam diem XI. Januarii anni Aerae Vulgaris 98. Cum vero Trajanus numeret annos Imperii undeviginti completos, totidemque Tribunitias Poteſtates iteratas ante XX., in qua deceſſit, ut Nummi, & Inſcriptiones teſtantur, una cum Hiſtoricis, qui eidem tribuunt Imperii annos XIX., menſes ſex, & dies XV. uſque ad ſupremum ejus vitae, qui fuit III. Idus Auguſti; ſi annus 98. ſtatuatur primus Trajani, tum Conſulis iterum, cum Nerva IIII. Conſule, qui eum ante adoptaverat, & paulo poſt obiit eodem menſe Januario, quo Menelaus Spicam Virginis Lunae conjunctam obſervavit; vigeſimi anni menſis ſextus & ſemis, idemque vitae Trajani terminus, deſinet circa III. Idus Auguſti anni 117. Aerae Chriſti Communis U. C. 970. ex Palilibus, ut antea ex aliis Lapidibus & Nummis colligebatur.

Ab Imperio Trajani, in primo ac poſtremo ſui termino tam luculenter alligati cum Aera Chriſtiana, & cum Epocha Urbis Conditae, gradatim aſcendimus ad annos ſuperiores Tiberii, & Auguſti, eorumque intervalla genuinis

nis ex documentis ita definienda; quemadmodum praeſtitimus in hucuſque perpenſis.

Trajanum, quem adoptaverat, Coccejus Nerva praeceſſit, & Imperium tenuit anno uno, menſibus quatuor, ac diebus novem, cum ſcilicet ante diem XIIII. Kal. Octobris pugione confoſſus a conjuratis hora quinta noctis expiraſſet Domitianus, qui pridie quam moreretur, Suetonio teſte (1), affirmavit fore, ut ſequenti die Luna ſe in Aquario cruentaret.

En alterum characterem Chronologicum caedis Domitiani die 18. Septembris Aerae Chriſti 96. ex motu Lunae ita proveniente ex Tabulis Aſtronomicis, & comparato cum obſervatione Lunari Menelai anno primo Trajani die XI. Januarii, quam vidimus contigiſſe anno Aerae Chriſti Communis 98. Si quis, citra tricas Aſtronomici calculi a ſe ineundi, cupiat hujuſce intervalli documentum, obſervet Ephemeridas ſtatuentes Lunam die 12. Januar. 1708. in gr. 25. *Virginis* in meridie, atque adeo nocte ſequenti circa 28. ejuſdem Signi, ubi Spica tunc viſebatur, & in eiſdem Ephemeridibus perquirat, quo loco verſaretur die 19. Septembris 1706.; videbit in Aquario verſatam circa gradum 15. ejuſdem Signi in meridie, & circa 22. grad. noctis hora ſexta.



(1) Suet. in Domit. Cap. 16. & 17.

Confirmat igitur obſervatio motuum Caeleſtium Chronologiam, quae terminum Imperii ac vitae Domitiani, & initium Nervae alligat menſi Septembris anni *96.* Aerae Communis, cum U. C. numerarentur ex Palilibus ejuſdem anni DCCCXLIX, C. Antiſtio Vetere & Manlio Valente Conſulibus: ita enim corrigenda ſunt nomina Conſulum ex vetuſto lapide reperto anno 1707. contra Baſilicam S. Pauli Via Oſtienſi inter antiqua rudera, ita inſcripto:

D. M. P. FANNIVS. AVILIVS. PROCVLVS. FECIT
TITIAE. FIRMAE. ET. P. FANNIO. PROCVLO
PARENTIBVS. BENEMERENTIBVS. ET. P. FANNIO
PRIMIGENIO. LIBERTO. ET. FANNIAE. BANAVSIDI
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE. EORVM
C. ANTISTIO. VETERE. MANLIO. VALENTE. COS.

Inſerendus eſt hic annorum computus a Conſulatu Claudii V, Collega Ser. Cornelio Orfito, ad Conſulatum Domitiani XVI. & Q. Voluſii Saturnini, qui ex Tr. Pot. Domitiani comprobatur praecedere annis quatuor ejuſdem Domitiani caedem: hujus enim intervalli ratio heic demonſtrata, erit infra admodum utilis ad oſtendendam neceſſariam reparationem Faſtorum Conſularium inter Cajum Caligulam, & Claudium ejus Patruum ac Succeſſorem. Legitur apud Gruterum pag. CCC. Neronis cooptatio

tio inter Fratres Arvales,ſignata Conſulibus, & annis ab Urbe Condita eo quo ſequitur modo:

DLECTVS. AD. NVMERVM. EX. S. C.
. . . . . . . nero . . . . . CAES. AVG
GERMANICVS
ti. CLAVDIO. CAESARE. AVG. GERMAN. V.
et SCR. CORN. ORFITO. COS
P. R. C. ANN. DCCCIIII.

In eodem lapide ſignantur deinde cooptationes complures, quarum una ſub Domitiano, ut ex ejus nomine e Faſtis eraſo, & ex Conſulatu, annoque U. C. liquet:

. . . . . . TETTIENVS SERENVS
COOPT.
IMP. CAES. Domit. AVG. GER. XVI. COS
Q. VOLVSIVS SATVRNINVS
P. R. C. AN. DCCCXLIIII.

Conſulatus Ti. Claudii V. & Orfiti ab omnibus Chronologis copulatur cum anno Aerae Chriſti 51, & Conſules Domitianus XVI. ac Saturninus junguntur pari conſenſu Chronologorum & Nummorum ac Lapidum anno ejuſdem Aerae Chriſtianae 92. Diſtant itaque per annos XLI. Cum igitur differentia annorum ab Urbe Condita DCCCIII. & DCCCXLIIII. ſit tantummodo annorum XL., neceſſe eſt affirmare, primam

mam cooptationem Neronis contigiſſe poſt Palilia, ſecundam vero Tettieni Sereni peractam fuiſſe ante Palilia. Unde etiam fit, cur in eodem lapide RVTILIVS G......ICVS legatur cooptatus VALERIO TRHACHALO. LI.CATIO SILIO ITAL. COS. P. R. C. AN. DCCCXXI, iique Coſs. referantur in Faſtis poſt annos ſeptemdecim a Conſulatu Claudii V. & Orfiti, quot nempe unitatibus numerus DCCCXXI. ſuperat DCCCIIII., quia in locum Neronis, caeſi poſt Palilia, nempe IIII. Idus Junii, ſucceſſit, ut arbitror, ille Rutilius in Sacerdotio, quando jam annus U. C. DCCCXXI. inierat ex Palilibus; cum inter utrumque annum nulla cooptatio intercedat. Nec diverſa ab his ratione cooptati leguntur, Bruttio Praeſente & Rufino Coſs. poſt Romam Cond. anno DCCCCVI (hoc eſt poſt Palilia anni Chriſti 153.) Plotius Gallus Celſianus; & M. Aurelio Vero Ceſare III ac L. Aelio Aurelio Commodo II. Coſs. P. R. C. ann. DCCCCXIII. (nempe Chriſti 161. quo anno ante Palilia uterque Auguſti nomen tulit mortuo Antonino Pio) I. Petronius Severus; & octennio poſt Palilia Chriſti 169, Q. Soſio Priſco P. Caelio Apollinare Coſs. P. R. C. anno DCCCCXXII. C. Licinius Licinianus. De his enim Conſulatibus, quibus anni reſpondent Antoninorum, definiti tum ex Nummis, tum ex lapidibus, tum etiam ex obſervationibus

bus Aſtronomicis Ptolemaei, nemo hactenus dubitavit, quanto temporis intervallo fuerint invicem ſeparati.

Conſtat igitur certa menſura temporum, per annos ſingulos, ex quinto ConſulatuClaudii, Orfito Collega, ad annum milleſimum Urbis Romae ſub utroque Philippo characteribus minime dubiis conſtituta ad annos hactenus memoratos.

Regrediendum jam eſt ad Trajanum, & Hadrianum; ut inde numeremus tempora, retrocedendo ad Auguſtum, & Tiberium, quorum altero rerum potiente, Chriſtus Dominus naſci, ſub altero vero Crucem ſubire dignatus eſt; utque ita oſtendatur, annum illum Tiberii, qui Kal. Januarii duobus Geminis Conſulibus ſignatus fuit, pertinere ad Aerae Chriſti Vulgaris annum 28.

Duo Gemini Conſules juxta omnium Faſtorum fidem diſtant a duobus Sextis Conſulibus per annos xv. Sextus Pompejus & Sextus Apulejus Conſules, dum Auguſtus vita ceſſit, juxta Suetonium (1), & omnes Hiſtoricos, primi (ut ait Tacitus (2)) in verba Tiberii Caeſaris juravere. Series eorum Conſulum, qui conſequuntur per annos xv. uſque ad duos Geminos C. Fuſium

[1] Suet. in Aug. Cap. 100.
[2] Tacit. Annal. lib. primo num. 7.

ſium & L. Rubellium, integra ſervatur in Taciti Annalibus. Non poſſunt itaque duo Gemini Conſules attribui anno 28. Aerae Vulgaris Chriſti, quin eodem nexu colligentur duo Sexti Conſules anno ejuſdem Aerae decimotertio; neque hi poſſunt aptari tertiodecimo, quin ſtatim intelligantur duo Gemini iniſſe Magiſtratum anno octavo ſupra vigeſimum.

Duos Sextos Conſules, eoſdemque ſupremos vitae Auguſti, pariandos eſſe cum anno tertiodecimo Aerae communis (non ut plerique faciunt cum quartodecimo) oſtendere me poſſe documentis evidentibus confido: & quidem utriuſque generis, quo conſtant Chronologicae probationes, altero ſcilicet ducto a genuinis teſtimoniis civilis numerationis annorum, altero a caeleſtium corporum motibus, nempe ab Eclipſibus, eodem tempore conſpectis, & ad leges Tabularum Aſtronomicarum exactis. Ordiamur a genere primo.

Tres Nummi in Syria percuſſi oſtendunt evidenter obitum Auguſti, & duos Sextos Conſules pertinere ad annum Aerae Chriſti Vulgaris tertiumdecimum. Nummus prior ſignatus eſt Damaſci anno Aerae Seleucidarum 325. EKT, quo Auguſtus deceſſit; & apud Vaillantium *in Num. Graec.* pag. 3. & pag. 348. deſcribitur aſſervatus apud Fr. Lotti. Eminentiſſimus Noriſius

riſius ab eodem Vaillantio tranſmiſſum ſibi ectypum Nummi ita vulgavit Diſſertatione ſecunda *de Epochis Syromacedonum* Cap. & §. 2. pag. 94. edit. Veron. *Nummum* vero ( inquit ) *Auguſti indicavit ille mihi* ( Vaillantius ) , *in cujus antica parte legitur* , ΣΕΒΑΣΤΟΣ , Auguſtus ; *altera parte ita obſignata* :



*Nempe* ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ. L. ΕΚΤ . Damaſcenorum anno cccxxv , *qui coepit ab Autumno A. V. Romae DCCLXVI.* , *eodemque poſtremo Imperii Auguſti* . *Ex hoc pariter Nummo conſtat* , *Epocham Seleucidarum inchoatam fuiſſe A. V. Romae* 442. *Nam ſi coepiſſet ab Autumno anni inſequentis* 443. , *annus* 325. *iniiſſet Auguſto jam vita defuncto* . Recte colligit Eminentiſſimus Scriptor, Aeram Syromacedonum inchoatam fuiſſe anno Urbis Conditae 442. Recte etiam infert , non poſſe differri ejus initium ad Autumnum anni ſubſequentis U. C. 443 , cujus annus 325. iniſſet, Auguſto jam vita functo . Tertium illud

 non

non intulit, quod ex teſtimoniis a ſe prolatis; quae mox producam, videbatur ſua ſponte fluere, nempe Epocham Syromacedonicam a Damaſcenis uſurpatam, coepiſſe a Verna tempeſtate anni 442, licet apud Tripolitas, & pleroſque Syros, ac Phoenicas duceretur ab Autumno ejuſdem anni U. C. 442. Ita enim cognoſcitur, potuiſſe Damaſcenos conſignare Nummum anno 325 Epochae ſuae, ineunte Vere anni 13. Aerae Chriſti Communis, U. C. ante Palilia DCCLXVI. & a Palilibus DCCLXVII, Auguſto adhuc ſuperſtite uſque ad diem XIV. Kalen. Septembris ejuſdem anni. Intulit autem primam deductionem Epochae Syromacedonicae inchoatae anno U. C. 442. ex duobus Nummis Tripolitarum, percuſſis Trajano, & Hadriano circa finem Aeſtatis anni Aerae Chriſtianae 117. ſub una & eadem nota anni Syromacedonici HKY 428., quae oſtendit, percuſſum Nummum Trajani quidem ante diem 3. Idus Auguſti, qua obiit, Hadriani vero poſt diem III. Idus Auguſti, ſed ante Kal. Octobris ejuſdem anni Aerae Chriſtianae 117., cum poſtmodum ex Kal. Octobris apud Tripolitas, & pleroſque Syros iniret annus Seleucidarum ΘKT 429. Vidimus autem ſupra, ex obſervatione Menelai, primum Trajani annum reſpondiſſe noſtratis Aerae 98.: quare vigeſimus Trajani labebatur ejuſdem Aerae 117. idem-

idemque ante Kal. Octobris ſignabatur a Tripolitis Epochae Syromacedonicae 428., & ex Kal. Octobris 429. Ante annos igitur vertentes 104. nempe Aerae noſtratis anno 13, uſque ad Kal.Octobris, numerabant Tripolitae 324., & poſt Kal. Octobris 325. Quare Auguſto decedente die XIV. Kal. Septembris, ſignare profecto nondum poterant Tripolitae, & plerique Syri, annum ab Octobri auſpicantes, vel a Septemb., neque ipſi Aegyptii, qui a 29. Aug. numerabant primam Thoth, ſignare, inquam, non poterant annum 325. nondum ineuntem. Diverſa tamen ratio fuit apud Damaſcenos: quorum annus non ab Octobri, aut a Septembri, ſed ab Aequinoctio Verno ducebat exordium; ut ipſemet Eminentiſſimus Noriſius adnotavit ex hoc Simplicii teſtimonio *in Comm. ad lib. 5. Phyſ.* Ariſtotelis. *Quae vero a nobis*, inquit Simplicius, *ſtatuuntur initia anni quidem circa Solſtitium Aeſtivum, ut apud Athenienſes; vel circa Aequinoctium Autumnale, velut in Aſia proprie ſic dicta; vel circa brumam, quod Romanis; vel denique ineunte Vere, quod Arabibus & Damaſcenis in uſu eſt*. Ex hoc Simplicii teſtimonio Cardinalis Noriſius iſta collegit: *Cum Damaſceni*, ait, *in Seleucidarum Regno cenſebantur, una cum ceteris Syris annum ab Autumno inibant. At cum ultro Aretae poſtea Arabum*

 *Regi*

*Regi ſe tradidiſſent, tum primum fortaſſis initium Anni ad Vernam tempeſtatem traduxerunt.* Damaſceni, uti narrat Joſephus *de Bello Judaico* lib. 1. cap.4. Ptolemaeo Minnaei filio infenſi, Aretam ſibi ſociarunt, Syriaeque Coeles (cujus Metropolis habebatur Damaſcus) Regem conſtituerunt anno Seleucidarum 228. ante Chriſti Aeram 85., uti Vaillantius memorat in Antiocho Dionyſo pag. 387. *Hiſt. Regum Syriae* ex Joſephi lib. 13. cap. 23. Poſt varios autem belli eventus hujus Aretae Succeſſores collecti ex antiquis Hiſtoricis ab Eminentiſſimo Noriſio *in Cenot. Piſ.* Diſſ. 2. pag. 231. & ſequenti, Regnum ſibi a Romanis permiſſum poſſederunt: quos inter eſt Aretas Pompejo reconciliatus, & alter Aretas a Syllaeo malis artibus coram Auguſto impetitus, ſed ab eodem Principe confirmatus, qui vitam ac Regnum obtinuit uſque ad poſtremum annum Tiberii, ita adnotante Card. Noriſio *in Cenotaphiis* loco allegato ex Joſephi lib. 18. cap. 7. Teſtis autem multo potior eſt Joſepho S. Paulus, qui *in ſecunda ad Corinthios* cap. xi. narrat, ſe a fratribus demiſſum in ſporta per murum Damaſci, evaſiſſe manus Praepoſiti gentis Araete Regis, qui eum voluit comprehendere. Cuſtodiebantur enim portae Civitatis Damaſcenorum ab ejuſdem Militibus, (uti refert S.Lucas in Actis Apoſtolorum cap. 9. verſ.

verſ. ) eodèm anno, quo Paulus ſpirans minarum & caedis in Diſcipulos Domini, ex Eccleſiae perſecutore in Apoſtolum evaſit. Hic autem annus, ex Eccleſiae ſuffragio in Martyrologio Romano ad diem 25. Jan., habetur ſecundus ab Aſcenſione Domini, atque adeo pertinet ad Imperium Tiberii. Cum igitur Damaſceni computaverint ab Aequinoctio Verno novum annum Arabum more, Regnum apud eos obtinente Areta, ſub Auguſti, ac Tiberii Principatu; & annum 325. ſub Auguſto ſignaverint; neceſſe eſt affirmare, hujus anni exordium ductum fuiſſe ab Aerae Chriſti Vulgaris anno tertiodecimo ex die Aequinoctii Verni VIII. Kalend. Aprilis, & ſignatum fuiſſe Nummum Vernis vel Aeſtivis menſibus ante diem Auguſto emortualem, nempe ante XIV. Kal. Septembris: a quo termino ſi numeremus annos ſolidos 104. uſque ad menſem Auguſti in Aera Chriſti 117., quo menſe Trajanus vita ceſſit, & ad Imperium evectus fuit Hadrianus, Damaſceni quidem tunc ſignaſſent ex Verno Aequinoctio annum Seleucidarum 429., ceteri vero Syri, qui auſpicaturi erant annum ex menſe Septembri, vel Octobri, ſignaſſent adhuc Aeſtivis menſibus annum Aerae Syromacedonicae 428. in utroque Nummo Trajani,& Hadriani,prout a Tripolitis obſignatum conſpicimus.

Sum-

Summa igitur eſt, Nummum Damaſcenorum percuſſum ante mortem Auguſti, & ſignatum Aera 325 ex Aequinoctio Verno numerata, praecedere annis 104, & menſibus quatuor, vel quinque, Nummos obſignatos Trajano & Hadriano Aera Tripolitarum 428. , ineunte Imperium Hadriano ante Septembrem anni Aerae Chriſti Communis 117. Rurſus ex hoc anno poſtremo Trajani,eodemque primo Hadriani,evidenter alligato Aerae Chriſti 117. ex obſervationibus caeleſtibus Ptelemaei, colligi pari evidentia ope Nummorum, annum Auguſti emortualem fuiſſe in Aera Chriſti 13, quando, ineunte Vere,Damaſceni inde ordiebantur cum Arabibus (quorum Imperio ſuberant) annum 325. Seleucidarum, in Auguſti Nummo, uti vidimus, obſignatum.

Nec ſoli fuerunt Arabes ac Damaſceni,qui annos Syromacedonum ex Verna tempeſtate putarent. Auctor Libri primi Macabaeorum idem praeſtitit, uti pridem adnotarunt eruditiſſimi Chronologi cum Petavio: ita illum conciliantes cum Auctore ſecundi Libri, qui annos computat ex Autumno ſubſequenti; atque adeo menſes Aeſtivos,quos primus Liber enunciat anno Epochae unitate majoris,quam Liber ſecundus ferat, conſtituunt eoſdem intelligi, nempe *lib. primo Machabaeorum* cap. VI. verſ. 16. Obi-

obitus Epiphanis confertur in annum Graecorum CXLVIII., cui ſtatim filius Eupator ſuccedit: idemque lib.2. cap.XI. 33. literas poſt obitum Patris datas conſignat anno CXLVIII, Xanthici menſis quintadecima die. Rurſus lib. 1. cap.VI. 20. Judas Hieroſolymitanam arcem obſidet anno CL. Graecorum, & qui in arce Gentiles erant, confugiunt ad eundem Eupatorem, qui in Judaeam tendit, cum Juda pugnat, mox pacem componit: cum tamen lib.2. cap.XIII. 1. Eupator haec peregiſſe dicatur anno CXLIX. Tandem lib. 1. cap. VII. 1. Demetrius Seleuci filius anno centeſimo quinquageſimo primo Roma profectus, venit in Syriam, & Antiochum ac Lyſiam interemit, ad eumque venit impius Alcimus. At lib. II. cap. XIV. 4. anno id centeſimo quinquageſimo contigiſſe dicitur. Haec uberius pertractat Petavius *Doctr. Temp.* lib. X. cap. 44., ubi priorem Scaligeri ſententiam, & varias Serrani, ac Tornielli de triplici Aera Syromacedonica exagitat, tum capite proximo poſteriorem Scaligeri admittit, cum ipſo ſtatuens, & ex libris ipſis Machabaeorum probans, Epocham libri primi a Niſan incipere, & ſemeſtri ſpatio praecedere Epocham libri ſecundi, exordium ducentem ex Tiſri, ſeu menſe Autumnali. Eadem igitur differentia intercedit inter annos Damaſcenorum, qui a Niſan ſeu Verno,

no Aequinoctio numerantur, & annos a Tripolitis, & pleriſque Syris uſurpatos, qui ab Autumno ſubſequente computabantur.

Satis evidenter, ut puto, demonſtratum fuit ex primo genere documentorum ejus aetatis ſuperſtitum, nempe ex Nummis utraque Epocha percuſſis, Auguſti annum emortualem habendum eſſe Aerae Chriſtianae Vulgaris tertiumdecimum.

Id rurſus oſtendendum ſuſcipio ex alio genere documentorum, in quo vis reſidet plenae demonſtrationis, nempe ex Eclipſium obſervatione, ab Hiſtoricis memorata ante & poſt obitum Auguſti, & confirmata ex tabulis Aſtronomicis, eaſdem Eclipſes exhibentibus anno tertiodecimo Aerae Communis.

Duae ſunt Eclipſes, ab Hiſtoricis Latinis & Graecis in literas relatae, quae comprobant Aeram illius obitus; Solaris una, quae mortem praeceſſit, & a Dione deſcribitur totalis libro 56. pag. 589. Lunaris altera, quae mortem proxime eſt ſubſequuta, & legitur apud Tacitum *Annal.* lib. 1. num. 28. Verba Dionis ſunt: *Sexto Apulejo Sexto Pompejo Conſulibus, in Campaniam profectus Auguſtus, exhibito Neapoli ſpectaculo, Nolae morti conceſſit. Prodigia, quae id ei praedicerent, neque minima, neque obſcura evenerunt. Sol totus defecerat &c.* ὅ τε γὰρ ἥλιος

Digitized by Google

ἥλιος πᾶς ἐξέλιπε &c. Taciti autem Annales oſtendunt, quod perlato nuncio mortis Auguſti, & ſucceſſionis Tiberii ad Legiones Pannonicas, in Caſtris aeſtivis agentes, ſeditio eaſdem inceſſit: cui opportune reprimendae Lunaris Eclipſis opem tulit. *Noctem*, inquit, *minacem*, *&* *in ſcelus erupturam fors lenivit. Nam Luna clariore pene Caelo viſa langueſcere. Jam miles rationis ignarus omen praeſentium accepit, ac, ſuis laboribus defectionem ſideris adſimilans, proſpere ceſſura quae peragerent, ſi claritudo Deae redderetur. Igitur aeris ſono, tubarum, cornuumque concentu ſtrepere: prout ſplendidior, obſcuriorve, laetari, aut moerere: & poſtquam ortae nubes offecere viſui, creditumque conditum tenebris, ut ſunt mobiles, ad ſuperſtitionem perculſae ſemel mentes, ſibi aeternum laborem portendi, ſua facinora averſari Deos lamentantur. Utendum inclinatione ea Caeſar, & quae caſus obtulerat, in ſapientiam vertenda ratus &c.*

Ex hujus ſecundae Eclipſeos charactere conſtare nequaquam poteſt, num anno 13, vel 14 Aerae Communis obierit Auguſtus. Utroque enim anno Tabulae Aſtronomicae Eclipſim Lunarem exhibent menſibus Autumnalibus: nempe anno 13 Eclipſis contigit hora circiter 10. poſt meridiem diei VI. Septembris ad meridianum Pannoniae, ubi Tacitus a Legionibus

ſpectatam fuiſſe memorat; anno autem 14. Eclipſis Lunaris ibidem ſpectari potuit nocte ſequenti diem 17 Septembris in Aurora diei 18. Nam ad Meridianum Pariſinum Eclipſis medium exhibetur horis 16. 48'. poſt meridiem, atque adeo ad meridianum Pannoniae h. 18. 28'. Mullerus in Tabulis Phriſicis hoc ferme colligit, quod nos ex probatiſſimis per Philippum de la Hire concinnatis obſervationibus ad uſum Regiae Scientiarum Academiae a Ludovico Magno Pariſiis erectae. Sentit autem etiam Mullerus, ex indicio iſtius Eclipſeos Lunaris definiri certo non poſſe annum obitus Auguſti, cum utraque Eclipſis reſpondere poſſit deſcriptioni, quae legitur apud Tacitum. Contendit autem Calviſius, aptari neutiquam poſſe verbis Taciti Eclipſim anni 13, quae totalis non fuit. Verum, totum Lunae diſcum umbrae immerſum fuiſſe, a Tacito affirmari non video; qui viſam primo Lunam langueſcere, mox impedimentum a nubibus ſubortum opportune adnotavit, quominus diſci Lunaris viſendi copia ſubinde militibus data ſit. Satis vero id fuerit ſuperſtitione ac metu occupatis mentibus, ceteroqui rudibus, ad omen ſiniſtrum capiendum de ſeditionis eventu. Cum utrique igitur Eclipſi Lunae aptari poſſit deſcriptio Taciti, Mullero facile aſſentior, qui certum characterem

rem

Digitized by Google

rem anni emortualis Auguſti ex hac ſola non audet ſtatuere.

Eclipſis igitur Solis, quae totalis contigiſſe memoratur ante obitum Auguſti, Dione teſte, ejus anni definiendi vim obtinebit. Calviſius eandem negat, quemadmodum cenſet aliam quoque negandam eſſe, quae in expeditione Xerſis deſcribitur apud Herodotum lib.9. Verba Calviſii dabo: *Refert tamen Dio* (inquit) *etiam Eclipſim Solis accidiſſe ante mortem Auguſti, ubi Sol totus obſcuratus ſit: quae Eclipſis nullibi invenitur, quemadmodum nec Sol obſcuratus fuit in tranſitu Xerſis, quod tamen a multis affirmatur*. At, bona Calviſii venia, Solarem Eclipſim in expeditione Xerſis elicio ex Tabulis ad annum 481. ante Aeram Chriſti Communem, Periodi Julianae 4233. (quem annum aſſignant Trajectui Xerſis etiam marmora Arundelliana) die 19. Aprilis, in Aſia minori ſpectabilem hora tertia poſt ortum Solis, ſed in Perſide totalem hora $1\frac{1}{2}$ ante meridiem. Verum de illa ſuo loco agendum erit, ubi Chronologia univerſa pertractetur. Heic de altera tantum ago, a Dione memorata anno obitus Auguſti, in qua Solem totum defeciſſe aſſeverat. Non indicat Hiſtoricus locum, ubi ſpectata fuerit. Enarrat tantummodo, inter omina mortis Auguſti hanc etiam fuiſſe relatam, fortaſſis ab



Digitized by Google

Aſtrologis Judiciariis , qui Mathematicorum Tabulis, & nomine tum maxime abutebantur ad ejuſmodi ineptas divinationes; quemadmodum ex ejus aetatis more factum novimus in Tiberii ſeceſſu apud Rhodum, & in Claudii Edicto ante diem Natalem ſuum, quo Solaris Eclipſis erat ſpectanda. Satis itaque foret ad hiſtoriam Dionis confirmandam, & noſtrae Chronologiae rationes, ſi Aerae Chriſti Communis anno 13 , Tabulae Aſtronomicae indicarent Eclipſim Solis totalem in aliqua terraquei Globi parte ſpectabilem; quandoquidem ubique Terrarum deficere Solem totum, imo nec toti Europae ſimul praeripi ejus lumen poſſe a Luna interpoſita, omnes concedunt. *Nullibi invenitur*, inquit Calviſius. Tabulae Hirianae totalem oſtendunt circa Occaſum Solis ſpectabilem in extremis Europae finibus occiduis, praecipue vero in Britannicis Inſulis, & ubi Legiones proxime in Germania inferiori ſitae, aliique Romani in Luſitania degentes, tum partialem ſpectare ſuis oculis, tum ſpectatam totalem ſuis auribus a Britannis percipere potuerunt.

Incidit igitur ( ut ex calculo Tabularum *de La Hire* colligitur ) utraque Eclipſis in annum XIII. Aerae Communis Chriſti, tum ſcilicet Solaris, eaque totalis, in extremis Europae limi-

limitibus conſpicua menſe quinto ante obitum Auguſti; tum Lunaris, eaque ſpectabilis in meridiano Pannoniae menſe altero poſt ejus exceſſum, in aeſtivis Caſtris agente adhuc exercitu, quemadmodum Tacitus refert. Utraque vero Eclipſi incidente in annum tertium decimum Aerae Chriſti Communis, huic eidem anno mors Auguſti, & duo Sexti Conſules ſunt adſcribendi: quandoquidem nec duodecimus, nec decimuſquartus, nec alius ex annis proximis exhibet per motus Luniſolares Eclipſes duas, tempori obſervationum ab Hiſtoricis indicato reſpondentes.

Cum vero annus XIII Aerae Vulgaris Dionyſianae ſignandus ſit duobus Sextis Conſulibus, & morte Auguſti; neceſſario conſequitur, ut decimuſquintus poſt illum praeferat Conſules duos Geminos. Nam Tacitus, inde auſpicatus Annales ſuos, quatuor prioribus Libris, qui ad nos integri ſunt tranſmiſſi, complectitur non modo paria quatuordecim Conſulum, qui totidem annos ſignarunt poſt duos Sextos, ſed & geſta cujuſque anni, iiſdem Conſulibus reſpondentia. Initium vero quinti Libri, & annum ab Auguſti morte quintumdecimum ita auſpicatur: *Rubellio & Fuſio Conſulibus, quorum utrique Geminus cognomentum erat, Julia Auguſta mortem obiit aetate extrema &c.* Tacito

cito conſentiunt Faſti in Codicibus notae praeſtantioris ( nam ſeries in marmoribus deſideratur ), nempe Vindobonenſis Bibliothecae ab Anonymo Quarti Saeculi concinnati, qui Tacito, ac Dioni reſpondent ( editi autem ſunt & illuſtrati a Card. Noriſio poſt *Epoch. Syromacedonum* ; Idaciani apud Sirmondum; Caſſiodorii apud Cuſpinianum: nec de hac ſerie quindecim annorum, poſt duos Sextos ad duos Geminos, dubitat quiſpiam ex probatis Chronologis, nempe Panvinius, Petavius, Calviſius, aliique aetatis noſtrae Scriptores eximii, qui ad fidem Marmorum & Nummorum exigunt Conſules, uti Card. Noriſius, & Pagius. Obſervabo tamen, in Chronico Alexandrino, ſeu Faſtis Siculis, ut vocant, par unum Conſulum in duo paria diſſectum, extenſumque ad biennium: nam infra opportune repetetur haec eadem animadverſio adverſus labem Chronologiae, in Olympiadum numero praeſtuendo. Sunt autem ipſi duo Sexti Conſules, quos ita expandunt ad biennium:

IND XIV. Aug. LIV. Sexto & Sexto Coſs.
CXCVIII. Olympias.
IND. XV. Aug. LV. Pompejo Magno & Apul. Coſs

Evidens eſt vitium duplicationis eorundem Coſs. quos Tacitus ita indicavit, *Annalium* lib. I.,

lib.I., *Sex. Pompejus & Sex. Apulejus Conſules primi in verba Tiberii juravere*, & Lapis apud Panvinium ita exhibet conſignatos, dum faſces geſtabant:

DEDIC. V. ID. AVG:
SEX. POMPEIO . ET . SEX.
APPVLEIO . COS

praeter Suetonium, Dionem, alioſque Hiſtoricos, hiſce monumentis concordes.

Conſequitur ergo, tam neceſſario ex conteſtium aequalium ſuffragio aſſignandos eſſe duos Geminos Conſules cum Victorio Aerae Chriſti Vulgaris anno 28., quam neceſſario conſequebatur, ex obſervatarum Eclipſium teſtimonio, duos Sextos Conſules, qui annis XV Geminos praeceſſerant, reſpondiſſe anno Aerae Chriſti Vulgaris tertiodecimo.

Quamvis haec documenta ſufficiant, ad oſtendendum incurſum Conſulatus duorum Geminorum in annum 28 Aerae Communis Chriſti; attamen ad firmamentum ſolidius, tum hujus Chronologiae, tum cardinis annorum Julianorum, liceat per annos Auguſti, genuinis monumentis comprobatos, aſcendere ad Aerae Julianae caput hoc progreſſu, quem mox ſubjicio.

Duobus Sextis Conſulibus, Auguſtus vita ce-

Digitized by Google

cedens XIV. Kalendas Septembris, numerabat annum Tribunitiae Poteſtatis XXXVII, initum ex die V. Kalendas Julii ante annos 36. Hunc numerum Tribunitiae Poteſtatis, quotannis renovatae, exprimunt, praeter Tacitum (1), Suetonium, & Dionem, Nummi, ac Lapides; illi apud Occonem, ſignati IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS. IMP. XXII. PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XXXVII. S. C.; hi vero in Ponte Ariminenſi eodem numero TRIBVNIC. POTEST. XXXVII. P. P., licet in Editione Gruteri perperam legatur XXXVIII., quam Auguſtus non attigit.

Anno autem proxime ſuperiori, L. Munatio Planco C. Silio Caecina Coſs., idem Auguſtus abſoluto quarto decennio, ex quo ipſe Cos. V. ſummam rerum in ſe conlatam obtinuerat, quintum decennium eſt auſpicatus, teſte Dione. Cum hos autem Conſules, L. Munatium & C. Silium, proxime praeiverint Germanicus Caeſar & C. Fontejus Capito Ordinarii, & ex Kal. Juliis C. Viſellius Varro ſuffectus, eodem anno Kal. Juliis recte tribuitur in Tabulis Capitolinis (2) Tribunitia Poteſtas XXXV. Auguſto, & XIIII. Tiberio.

GER-

(1) Tacit. Annal. lib. I. 9.
(2) Apud Gruterum pag. 295.

Digitized by Google

GERMANICVS. CA TI. F. C. FONTEIVS. C. F. C. N.
AVGVSTI. N. CAPITO

EX K. IVLIS

C. VISELLIVS . C. F. C. N. VARRO

IMP. CAESAR DIVI. F. AVGVSTVS. PONT. MAX. TR. POT. XXXV

TI. CAESAR. AVGVSTI. F. DIVI. N. TR. POT. XIIII

C. SILIVS. P. F. P. N. L. MVNATIVS. L. F. L. N
PLANCVS

Cajo igitur Silio & L. Munatio Planco Coſs. Aerae Vulgaris 12, Auguſtus ante v. Kal. Julias, numero Trib. Pot. xxxv. abſoluto, inivit xxxvi, eodemque anno complevit quadragenarium Imperii, olim ſibi delati in quinto ſuo Conſulatu; quem propterea Conſulatum Auguſti quintum, annis quadraginta ſolidis remotum a Conſulatu Silii & Planci, neceſſe eſt conferre in annum ante Aeram Chriſti Vulgarem 29 Conſulatum Auguſti quintum: hi continenter praeciverant inciſi in antiquo Lapide apud Appianum, & Gruterum, ubi etiam Auguſti Geſta potiora ſuis Conſulibus aſſignantur, nempe bellum Illyricum, Marſicum, & Alexandrinum contra M. Antonium, unde Epocha Victoriae Auguſti reſultat. Nomina Conſulum Ordinariorum exſcribam, intermiſſis Magiſtratibus Municipalibus, ibidem inſertis:

34. L. SEMPRONIVS. L. SCRIBONIVS
BELLVM. ILLYRIC.
BELLVM. MARSIC.
33. IMP. CAESAR. II. VOLCATIVS.
32. CN. DOMITIVS. C. SOSIVS.
31. IMP. CAESAR. III. M. VALERIVS.
30. IMP. CAESAR. IIII. M. LICINIVS.
BELLVM. ALEXANDR.
29. IMP. CAESAR. V. SEX. APPVLEIVS.
28. IMP. CAESAR. VI. M. AGRIPPA. II.

Ita ex anno 29. ante Aeram Chriſti Vulgarem,& Conſulatu Auguſti quinto,aſcendimus ad proxime praecedentem,Victoria Alexandrina memorabilem, & per alios connexos ad eum, qui Aeram Vulgarem praeit 34. loco, unde bellorum Illyrici & Marſici ſunt Epochae repetendae, L. Sempronio Atratino ( licet ſuffecto in locum M. Antonii,qui abdicaverat ) & L. Scribonio Libone Conſulibus.

Hinc ad annum primum Julianum, unde Caeſar anni a ſe ordinati initium ita fecit, ut Kalendis Januariis Novilunium incideret, anni novem ita diſponuntur:

45. C. Julius C. F. C. N. Caeſar IV.
Sine Collega.
44. C. Julius C. F. C. N. Caeſar V.
M. Antonius M. F. M. N.

43. C. Vi-

43. C. Vibius C. F. C. N. Panſa.
A. Hirtius.
42. M. Aemilius M. F. Q. N. Lepidus II.
L. Munatius L. F. L. N. Plancus.
41. L. Antonius M. F. M. N. *Pietas*.
P. Servilius P. F. C. N. Vatia Iſauricus II.
40. Cn. Domitius Calvinus II.
C. Aſinius Cn. F. Pollio.
39. L. Marcius Cenſorinus.
C. Calviſius Sabinus.
38. App. Claudius C. F. Pulcher.
C. Norbanus C. F. Flaccus.
37. M. Vipſanius L. F. Agrippa.
L. Caninius L. F. Gallus.
36. L. Gellius L. F. Poplicola.
M. Coccejus Nerva.
35. L. Cornificius L. F.
Sex. Pompejus Sex. F.
34. L. Sempronius Atratinus.
L. Scribonius Libo.

Priores ſex Conſulatus, a numero 45. ad 40, conſequuntur non interrupti in Tabulis Capitolinis. Alligatur autem numero 45 ante Aeram Chriſti Vulgarem quartus Conſulatus C. Julii Caeſaris ſine Collega, eidemque anno tribuitur, ut ſeriem ducat Julianorum, ex ipſius

Caeſaris ordinatione, cujus in Kal. Januarias Novilunium inciderat, juxta omnes Tabulas, & calculos Aſtronomorum, & Chronologorum.

Annum primum Julianum, a Neomenia coeptum, proxime praeceſſit *Annus Confuſionis*, conſtans diebus 445, quem aperuit Caeſar III. & M. Aemilius Lep. Coſs: mox, abdicato Conſulatu circa Junium Dictator III cum eodem Lepido Magiſtrò Equitum, eodemque anno circa Octobrem, reſumpto Conſulatu, Caeſar IIII ſine Collega proceſſit, eodemque anno, poſtrema Decembris die, mortuo Q. Fabio Maximo, quem Collegam aſſumpſerat, poſt duos menſes intercalares; inſertos inter Octobrem & Novembrem, uti ex Cenſorino alibi probavimus, Conſulem ſuffecit ad paucas horas C. Caninium C. F. C. N. Retilum, ut ex hoc marmore Capitolino docemur:

C. IVLIVS. C. F. C. N. CAES. III. M. Aimilius M. F. Q. N. Lepidus

C. IVLIVS. C. F. C. N. CAESAR III. Dictator.

M. AIMILIVS. M. F. Q. N. LEPIDVS Magiſter Equitum.

EODEM. ANNO

C. IVLIVS. C. F. C. N. CAESAR IIII. SINE Collega

EODEM. ANNO

Q. FABIVS. Q. F. Q. N. MAXIMVS IN Magiſtratu MORTVVS. EST. IN. EIVS. LOCVM ſuffectus eſt C. CANINIVS. C. F. C. N. Retilus.

Ex

Ex hoc autem *Anno Confuſionis*, expenſo dietim inEphemeride belli Hiſpanici apud Hirtium in ea expeditione cum Caeſare verſatum, demonſtratur, ortum Lunae hora ſexta circiter conſpectum ab horizonte ſcilicet emergere III. Nonas Martii. Si annus hic fuiſſet Julianus 45. ante AeramChriſti, & dierum 364., vel 365. conſtaſſet, ac Novilunium tuliſſet Kal. Januarii, Luna iterum accenſa Kal. Martii, vel pridie Kalendas, Nonis Martii occubuiſſet ante horam ſextam noctis, qua Hirtius conſpectum narrat. Si vero ſupponatur, ut fuit, *Annus Confuſionis* auctus diebus 91, nempe XXIII. in Februario, & diebus LXVIII. inter Novembrem ac Decembrem (ut teſtis eſt Cenſorinus cap. 8. *de Die Nat.*), rationes recte procedunt: ſiquidem a die III. Nonas Martii anni veteris Romani, qui, utpote Lunaris, conſtabat diebus 354., imo ominis cauſa, ut ait Cenſorinus, diebus 355., & inde exemptis Januario dierum 29., & Februario 28., quales tunc habebantur, relinquebant a Kal. Martii ad finem anni dies 298., & a III. Nonas Martii ad Kal. Januarii proximas, incluſis extremis, 293.: additis huic numero diebus 68, intercalatis *Anno Confuſionis* inter Novembrem ac Decembrem, ſumma dierum a III. Non. Martii ad Kal. Januarii, ſequuturas poſt *Annum Confuſionis*, fuerit 361.: quibus com-

complentur Lunationes XII., & abundant dies VII, ad ſenium alterius Lunae ſpectantes. A Kalendis itaque Januarii primi Anni Juliani, Novilunio inſignitis, ubi regredimur per dies 361. in anteriora ad III. Non. Martii, praeter XII. Lunas integras, reperimus dies VII, pertinentes ad poſtremam aetatem ſeneſcentis Lunae ſuperioris: qua Lunae aetate, hora circiter ſexta noctis, eadem oritur in Horizonte Hiſpanico, ubi Caeſar, & Hirtius tunc verſabantur. Reſpondent itaque annis Julianis, inchoatis anno 45. ante Aeram Chriſti Communem, motus Lunae, tum qui Syzigiam ferunt Kal. Januarii, tum qui Lunam orientem demonſtrant hora ſexta noctis circiter, in Horizonte Hiſpanico III. Non. Martii, *Anno Confuſionis*, juxta menſuras a Cenſorino traditas, ordinato. Si quis haec fuſius pertractata videre cupiat, conſulat noſtrum Opuſculum IV. in Prolegomenis Tomi ſecundi Anaſtaſii Bibliothecarii pag. X.

Tot ergo characteribus caeleſtium corporum motus obſervati, necnon Marmora, ac Nummi a Romanis, aliiſque Populis obſignati, tum in Urbe, tum in Provinciis, quaſi quibuſdam clavis numeralibus figunt Aeram annorum Julianorum 45. anno ante Chriſti Vulgarem; duos Sextos Conſules & mortem Auguſti in 13. annum

num ejuſdem Aerae Vulgaris Chriſtianae, ſeu Dionyſianae, qua utimur; & duos Geminos Conſules alligant ejuſdem Aerae anno vigeſimo octavo; quod olim Victorius conſtituerat in proprio Cyclo, Occidentalis Eccleſiae conſenſu pluribus Saeculis comprobato. Sequitur etiam, ut anni ab Urbe Condita ante, & poſt Palilia, comparati cum millenario Urbis, celebrato & completo ſub Philippis Patre III. & Filio II. Coſulibus XI. Kal. Maji Aerae Vulg. Chriſti 248., demonſtrent, ineunte Aera Chriſtiana numeratum fuiſſe Romae uſque ad Palilia Urbis Conditae 753, & a Palilibus 754.: & duobus Geminis Conſulibus ante Palilia ſignatum U. C. 781, poſt Palilia 782. His ita conſtitutis, quae adverſari videntur, ſunt expendenda.

## CAPUT IV.

*Expenduntur difficultates contra allatam Chronologiam, excitatae ex teſtimoniis Hiſtoriae Profanae, & primum ex Faſtis Conſularibus, qui corriguntur.*

De Hiſtoria Gentium collata cum Euangelio, uti monuerat S. Auguſtinus, collecta

lecta ſunt hactenus documenta Chronologiae circa diem & annum Paſſionis Dominicae a nobis conſtitutae. Duplici vero generi documentorum, ſacro ſcilicet, ac profano, duplex opponitur ſeries difficultatum: quae ſunt a nobis tollendae ſingillatim, ne caligo dubitationis oriatur, quam cavendam praemonuit Sanctus Doctor, ſive Gentium ab Hiſtoria petita ſint argumenta, ſive a ſacris literis, aut Eccleſiaſticis memoriis deducantur. Tollenda igitur erunt primum ea dubia, quae profanis e literis manant, contra rationem temporum conſtitutam. Sequitur deinde ſolutio difficultatum, a ſacris Auctoribus profectarum.

## ſ. I.

*Prima difficultas ex numero Conſulum Ordinariorum inter duos Geminos, & Claudii Quintum Conſulatum, quorum paria XXI. inter utrumque extremum communiter ſtatuunt Chronologi, nos vero XXII.*

PRima difficultas, e Gentium Hiſtoria fluens, verſatur in numero Conſulum Ordinariorum, cenſendo inter duos Geminos & quintum Conſulatum Claudii, Collega Serv. Cornelio Orfito: quibus Coſs. poſt Palilia in cooptatio-

tione Neronis inter Fratres Arvales, vidimus aſſignari annum ab Urbe Condita octingenteſimum quartum, ex antiqua Inſcriptione apud Gruterum pag. ccc., atque adeo Aerae Chriſti Vulgaris 51.

ADLECTVS . AD . NVMERVM . EX . S. C.
Nero Claudius CAES. AVG.
GERMANICVS
imp. ti. CLAVDIO . CAESARE . AVG. GERMAN. V
ſeRVIO CORNELIO . ORFITO . COS.
P. R. C. ANN. DCCCIIII.

Faſtorum Indices, qui hodie ſuperſunt, inter utrumque Collegium Coſs. interponunt annos XXI., totidemque paria Conſulum Ordinariorum. Cum enim aſſignent Quintis Claudii Faſcibus annum Aerae Chriſtianae quinquageſimum primum, quem illi eſſe aſſignandum probari jam vidimus tot genuinis documentis illius aetatis; duobus autem Geminis tribuant 29., neceſſario conſequitur, ut inter utrumque extremum medii ſint ex illorum putatione anni ſolidi XXI., quos aperuerit totidem paria Coſs. Kalend. Januariis de more procedentium. Noſtris autem ex calculis, qui duos Geminos Conſules & Dominicam Paſſionem ferunt anno Aerae Vulg. 28., inter hunc annum, & quinquageſi-

geſimumprimum, xxII. ſolidi interjacent, aſſignandi totidem paribus Conſulum Ordinariorum.

Quaeſtio igitur eſt, num Indicibus Faſtorum reſtituendum ſit par Conſulum, aliqua de causa ſublatum inter duos Geminos, & Quintum Claudii, quod ex noſtra ſententia deſideratur; an vero ſententia noſtra concidat hoc ipſo argumento ſubverſa, quod inter illa extrema ſit Conſulum ſeries integra, ſolis uno & viginti Conſulatibus interjectis, qui apud Faſtorum Collectores deſcripti ſunt.

Duo mihi praeſtanda ſentio, ut objectae difficultati reſpondeam. Primum erit oſtendere, par Conſulum hac aetate deſiderari. Alterum erit inquirere, quo potiſſimum loco par illud exemptum ſit, quive ſint Conſules Ordinarii Faſtis inſerendi.

## §. II.

*Oſtenditur hac aetate par Conſulum deſiderari in ſerie Faſtorum ex antiquis Inſcriptionibus illius aetatis.*

PRimum illud de exemptis hac aetate Conſulibus demonſtrabo, pro more, ex documentis genuinis iſtorum temporum. Conſtat, uti jam vidimus, a duobus Sextis, ad duos Gemi-

minos,eſſe Conſulum ſeriem integram in Taciti Annalibus : quibus etiam reſpondent Tribunitiae Poteſtates Auguſti, ac Tiberii, quae dubitare nos minime ſinunt, quin ſeries annorum ab Actiaca pugna ad mortem Tiberii ſit omnino continua & integra. Eclipſes autem duae, Solaris una, Lunaris altera, ſpectatae anno Auguſti emortuali, & a Scriptoribus aequalibus in Commentarios relatae, oſtendunt, uti probatum fuit, duos Sextos Conſules ad annum Aerae Chriſti Vulgaris XIII. pertinere : atque adeo duos Geminos, qui loco quintodecimo ab illis occurrunt, & annum quintumdecimum imperantis Tiberii poſt Auguſti mortem ſignant juxta veterum teſtimonia, pertinere ad annum Aerae Vulgaris 28. Sunt igitur hinc ad annum 51. Conſulatus XXII. interponendi; & adjiciendum eſt par omiſſum a deſcriptoribus Faſtorum, qui unum par eximunt ab hac ſumma. Addendum eſſe annum huic intervallo perperam detruncato, clamant Scriptores veteres illius aetatis in recenſione annorum, quibus vixerunt illuſtres viri ante duos Geminos Coſs. nati, & vita functi poſt Quintum Claudii Conſulatum. Rem a nemine, quod ſciam, hactenus obſervatam, ita demonſtro. Natalis Galbae ſtatuitur a Suetonio *in ejus Vita* nono Kal. Januarii, Coſs. L. Cornelio Lentulo

M. Valerio Meſſala, quos Faſti Communes adſcribunt Periodi Julianae anno 4711. Caedes contigit ipſomet Galba iterum & T. Vinio Rufo Coſs. die XVI. Januarii, paucis diebus poſt Kal. Januarias, aetatis anno ſeptuageſimo tertio, Imperii menſe ſeptimo. Eos Conſules alligant Faſti Communes Periodi Julianae anno 4782., Chriſti 69. Non itaque periiſſet Galba aetatis anno ſeptuageſimo tertio, uti Suetonius affirmat, niſi Conſulatus Lentuli & Meſſalae praeteriiſſet per annum ſolidum hoc intervallum: nam a 24. Decembris anni 4711. ad initi Januarii 4782, fluunt anni tantummodo LXXI. ac dies XXV. Noſtra vero Chronologia exemptum e Faſtis annum reſtituit, & retentis anno Periodi Julianae 4782., Chriſti 69., Galba iterum & Vinio Rufo Coſs., priores illos Lentulum ac Meſſalam cum interpoſitis uſque ad Imperium Claudii retrahit per annum, eoſque alligat Periodi Julianae 4710.: atque ita reſpondet adamuſſim Suetonio, numeranti in Galbae caede annum ejus vitae LXXIII., initum diebus novem ante eas Kal. Januarias alterius ſui Conſulatus, quibus Kalendis obſervatum fuit, ei ſacrificanti coronam de capite excidiſſe, uti Suetonius ſcriptum reliquit cap. 18.

Idem Hiſtoricus, qui memorat cap. X., Patrem ſuum Tribunum anguſticlavium fuiſſe de-

decimaetertiae Legionis bello Othoniano, affirmat, Othonem Imperatorem natum IV. Kal. Maji, Camillo Aruntio, Domitio Aenobarbo Coſs, qui Coſs. tribuuntur a Faſtis communiter receptis anno Chriſti 32., Periodi Julianae 4745. Eundem vero Principem narrat, (cap. ultimo *in Othone*) a ſe ipſo confoſſum occubuiſſe XCV. Imperii die, ex eo ſcilicet, quo Galba caeſus fuerat, 19. Januarii, Aerae Chriſti anno 69., Periodi Julianae 4782. Non itaque diceretur agere aetatis annum 38., niſi annus inferatur medius, qui a Faſtis omittitur, & per nos reſtituitur; cum dies 95. a 19. Januarii ſit Aprilis 24., ipſe vero natus dicatur Aprilis 28.

Titi pariter vita requirit, ut Conſulatus olim exemptus huic intervallo reddatur. Titus Veſpaſiani Filius, juxta Suetonium cap. 2., *natus eſt III. Kal. Januarii inſigni anno Cajan a nece*. Hunc annum necis Caji Faſti attribuunt Aerae Chriſti Communis 41.: quo, Cajus Conſul Quartum cum proceſſiſſet, mox abdicaſſet, intra 24. diem a ſuſceptis Faſcibus vita eſt exutus. Ita communiter Faſtorum Collectores conſtituunt. Nos vero quartum Caji Conſulatum retrahimus ad annum ſuperiorem in Aera Chriſti 40., licet ejus caedem aſſignemus quadrageſimo primo. Eundem annum huic intervallo reſtituendum eſſe indicat aetas annorum Julii Agrico-

colae a Tacito ipſius Genero cum Soceri vita deſcripta. *Natus erat*, inquit, *Agricola C.Caeſare tertium Conſule Idibus Septembris: exceſſit ſexto & quinquageſimo anno, decimo Kal. Septembris, Collega Priſcoque Conſulibus*. C.Caeſaris tertium Conſulatum communiter referunt Chronologi ad Aerae Vulgaris Chriſti annum 40: Collegam & Priſcum Coſs. tribuunt anno Aerae Chriſti 93. Aetas igitur Agricolae attingeret tantummodo annum aetatis quinquageſimum quartum. Sed in Taciti textu legendum eſſe, *Natus erat Agricola*, *C. Caeſare iterum Conſule*, oſtendi poteſt ex nece Patris, mandante Cajo, interempti, quod *M. Silanum accuſare juſſus*, *& quia abnuerat*, *interemptus eſt*. Nam Silanus ipſe altero Principatus anno occiſus a Cajo fuit ante Conſulatum tertium, ut patet ex Philone in libro *de Legat. ad Cajum*. Alter Caji Conſulatus a nobis ponitur Aerae Chriſti Vulgaris 38.: unde, ſi numerantur anni ſolidi 55., inſerto ſcilicet, quem dicimus, Conſulatu, deſinunt in 93 Collegae & Priſci Conſulatu, quo anno, ex die Iduum Juniarum coepit Agricola numerare aetatis 56. uſque ad x. Kal.Septembris, quo naturae conceſſit juxta Taciti enumerationem.

Perſii Poetae vita, quae Suetonio tribuitur, neceſſitatem reſtituendi Conſulatus ademp-

pti

pti clarius indicat, ſi menſis nomen, quod in ea videtur ex Novembri permutatum in Decembrem, corrigatur. *Aulus Perſius Flaccus* (inquit) *natus eſt pridie Nonas Decembris* (reſtituo *Novembris*), *Fabio Perſico L. Vitellio Coſs. Deceſſit VIII. Kal. Decembris, Rubrio Mario Aſinio Gallo Coſs. &c. Deceſſit autem vitio ſtomachi, aetatis anno XXX.* Poſtremos Conſules Marium & Aſinium Faſti conferunt in annum Periodi Julianae 4775., Chriſti Aerae 62. Priores autem adſcribunt anno Periodi Julianae 4747., Chriſti 34. Si ex pridie Nonas Novembris anni 34. numeres ad Nonas Novembris 62., erunt anni ſolidi 28., ac de 29. anno vixerit Perſius paucos dies, qui ſuperſunt ex pridie Nonas Novembris ad VIII. Kal. Decembris, nuſquam vero trigeſimum attigerit. At noſtra ex Chronologia, quae annum huic intervallo demptum ab aliis reſtituit, & Fabium Perſicum L. Vitellium Coſulibus exhibet Aerae Chriſti 33., recte proveniunt ad 62., qui inſcribitur Mario & Gallo Conſulibus, 29. anni ſolidi: & qui ſuperſunt dies XIX. a pridie Nonas Novembris, ad VIII. Kal. Decembris, anno trigeſimo vitae Perſii jure deputantur.

Non ſecus evenit in expendenda aetate Lucani apud Auctorem ejus Vitae, una cum Operibus editae ex antiquiſſimo Commentario, unde

anni

anni ſolidi ſupplementum adjiciendum eſſe liquido conſtat. *Natus eſt*, inquit, *III. Nonas Novembris, Caeſare Auguſto Germanico II. L. Caeſiano I. Coſs. &c, periitque pridie Kalendas Majas, Attico Veſtino & Nerva Siliano Coſs. 27. aetatis annum agens*. Vulgata Chronologia primos Coſs. refert Aerae Chriſti Communis anno 39., poſtremos anno 65. quare, niſi annus inſeratur, ut nos contendimus, Lucanus deceſſiſſe dicendus foret annum agens 26. Noſtrae autem rationes, a quibus priores Coſs. referuntur ad annum 38., ſpatium relinquunt attingendi aetatis annum 27., uti Auctor iſte commemorat.

Haberi poſſet etiam conteſtis detruncatae Chronologiae Suetonius *in Vitellio*, quem natum fuiſſe memorat Septembri menſe, Druſo & Norbano Coſs., ad mortem vero compulſum aetatis anno ſeptimo & quinquageſimo. Si ductum ſequimur Faſtorum vulgatorum, qui Druſum Caeſarem & Norbanum Conſules proferunt anno Vulgaris Aerae Chriſti XV., annus ſeptimus & quinquageſimus Vitellii coeperit menſe Septembri Aerae Chriſti 71., toto ſcilicet biennio poſtquam e ſcalis Gemoniis unco tractus fuerat in Tiberim. Rationes noſtrae ſatis quidem non ſupplent anno interpoſito: ſed ſi Codices emendatiores Suetonii LVI annum

(non

(non lvii ut plures) vitae tribuant Vitellii, optime conciliantur cum intervallo, quod effluit a Septembri menſe Conſulatus Druſi & Norbani, per nos referendi ad Aerae Chriſti Communis annum 14, ad Decembrem anni 69. ejuſdem Aerae, quo ſupra lv. vitae, jam expletum menſe Septembri, trimeſtre ſpatium anni lvi Vitellius jam numerabat, cum apud Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificatus, atque confectus, unco in Tiberim traheretur.

## §. III.

*Ex Veteribus Nummis & Epocha Antiochenorum.*

Verum, ſi omittenda ſunt argumenta deducta ex Codicum numeris, quos facile vitiant Amanuenſes in tanta Exemplorum copia, quando Autographi Hiſtoricorum libri non ſuperſunt, ad teſtimonia Lapidum ac Metallorum revertamur, quae documenta genuina ejus aetatis ferunt, quam demonſtrant inſcript . Inſigne autem miniſtrant, ni fallor, Nummi Antiochiae percuſſi cum Epocha Caeſariana. Hoſce, primus adhibuit Eminentiſſimus Cardinalis Noriſius in *Epochis Syromacedonum* illuſtrandis (1), ad eorum teſtimonia, in



(1) Diſſert. iii. cap. 4. pag. 174. Edit. Veron.

Codicum, diſſidio provocans, quod aequalia ſint rebus geſtis, & incorrupta. *Hoc*, inquit, *quod hactenus nemo praeſtitit, ex ipſius Antiochiae Nummis oſtendo: hi enim incorrupti antiquitatis teſtes ullo ſine errore ad noſtram uſque aetatem pervenerunt, ac bono Chronologiae fato pleraque majoribus noſtris ignota, poſteris noſcenda in bono lumine collocarunt.*

Duo prae ceteris Nummi ab eo producuntur, ſignati Epocha Antiochena, cum annis Imperatorum ita componenda ex adjunctis notis. Prior itaque *Nummus*, ex *Cimeliis Regis Chriſtianiſſimi, in antica parte, detrita Inſcriptione, caput Galbae laureatum praefert: addita in altera parte epigraphe*: ΕΠΙ. ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ ΖΙΡ, *ideſt, ſub Muciano Antiochenſium. Anno CXVII. P. Licinius Mucianus, defuncto in Provincia Syriae Ceſtio Gallo, in eandem a Nerone Legatus Auguſti Propraetor miſſus fuit*, ut ex pluribus Taciti teſtimoniis probat: quibus etiam oſtendit, eundem Mucianum initio Imperii Galbae (*Hiſt.* lib. 1.) *Syriam, & quatuor Legiones ibidem obtinuiſſe.* Galba occiſus fuit die 15. Januarii anno Urbis Romae 821 uſque ad Palilia decurrente, Periodi Julianae 4782., Aerae Chriſti 69. Coeperat autem Galba imperare ante menſem ſeptimum quam occideretur, nempe Junio menſe anni

anni 68. Cum igitur Antiocheni annos putarent more Syromacedonum ex Autumno, annus 117 in Nummo ſub Muciano obſignato effigie Galbae, vel pertinet ad menſes aeſtivos anni 68, vel ad autumnales. Alterum Numiſma ſibi a Vaillantio oſtenſum fuit Florentiae, in quo conſpexit laureatum caput Tiberii, cum epigraphe, ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, *Tiberius Auguſtus*; averſa Nummi parte intra lauream inſcripta, ΕΠΙ ΦΛΑΚΚΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΒΠ, *Sub Flacco Antiochenſium Anno LXXXII.* L. Pomponius Flaccus Syriae Praeſes eo in Numiſmate exprimitur; quem oſtendit in Diſſert. 2. *de Cenot. Piſan.* cap. 16. pag. 329, Syriam obtinuiſſe A. U. 775. Idem Flaccus, ex lib. 4. *Annalium* Taciti, diem obiiſſe legitur Sulpicio Galba, & Cornelio Sulla Conſulibus A. U. 786., ut ferunt Faſti vulgati, & ab ipſo Card. Noriſio editi, ex Codice Bibliothecae Caeſareae Vindobonenſis. Obſervo tamen ſub anni extremum eam mortem contigiſſe ex ipſo Tacito, gradatim pro ordine temporum res ejus anni digerente. Nam, ut xv. Kal. Novembris mortem Agrippinae commemoravit, paulo poſt ita proſequitur: *Extremo anni mors Aelii Lamiae funere Cenſorio celebrata; qui adminiſtrandae Syriae imagine tandem exſolutus, Urbi praefuerat: genus illi decorum, vivida ſenectus, & non*

*permiſſa Provincia dignationem addiderat*. Huic e veſtigio attexit poſtremam Actorum ejus anni partem, ita proſequutus: *Exin, Flacco Pomponio Syriae Propraetore defuncto, recitantur Caeſaris literae, queis incuſabat, egregium quemque, & regendis exercitibus idoneum, abnuere id munus*. Ordo igitur Annalium, & contextus verborum facit, ut intelligamus, Flacci Pomponii mortem, ſeneſcente Autumno, in Syria contigiſſe, & extremo anno Romae nunciatam. Quocirca annus 82 in Nummo expreſſus, potuit obſignari tam ante, quam poſt exordium Autumni ejuſdem anni 82., Aerae Chriſtianae 32., nondum e vivis erepto Flacco. Differentia unitatum quinque ac triginta, quae inter numeros utriuſque Nummi obſervatur, oſtendit, Coſs. Sulpicium Galbam & Cornelium Sullam totidem annis diſtare a ſeptimeſtri Imperio Galbae, ſub quo Nummus Muciani percuſſus fuit, ſi uterque Nummus ſignatus eſt ante Autumnum inchoatum, vel uterque poſt initium Autumni. At ſi prior fuerit ſub Tiberio, Autumnali tempeſtate impreſſus, anno novo Syromacedonum ineunte, ſecundus vero ſub Galba per aeſtatem cuſus, menſe Hyperberetaeo, ſive Octobri nondum inchoato; annus Julianus, quo prius Numiſma ſignabatur, deſtiterit a poſteriori annis 36, ut facile conſtat cuique rationes ſub-

ſubducenti. Statuit noſtra Chronologia, Nummum ſub Galba a Muciano cuſum, referri ad menſes aeſtivos anni 68 Aerae Chriſti: praecedentem vero Flacci ſub Tiberio ſignatum Autumno anni 32. ejuſdem Aerae Sulpicio Galba & Cornelio Sulla Coſs., paulo ante quam Flaccus mortem oppeteret in Provincia. Ita conſtat ratio diſtantiae: & ab utroque reſultat initium Aerae Caeſaris Antiochenae ab iiſdem Coſs. C. Claudio Marcello L. Cornelio Lentulo, unde Card. Noriſius deduxit, ſed non ab anno U. C. 705., ut communiter ferunt Faſtorum editores, immo ab U. C. 704, quibus illi Coſs. ex noſtra Chronologia aſſignantur, retractis ſcilicet per annum ſolidum Collegiis omnibus, quae Claudii Imperium praecedunt.

Expendamus modo nexum annorum, an ſibi conſtet. Ab anno extremo Romano, L. Cornelio Lentulo C. Claudio Marcello Coſs., nondum correcto per Caeſarem, cum December Romanus incideret ferme in Hyperberetaeum Syrorum, ſignarunt Antiocheni Aerae ſuae initium, deſignato ſcilicet Conſule C. Julio Caeſare II., & Magiſtratum inituro paucos poſt dies una cum P. Servilio. Annus autem UrbisConditae tum labebatur ex Palilibus praecedentibus DCCIV. Poſt Autumnos LXXXI. iteratos, annus LXXXII. Antiochenorum inibat Octobri

dem arceſſebat, una cum Cyclo Indictionum Quindecennali, qui aevo poſteriori fuit indutus. Statuit itaque probabili admodum conjectura, idcirco ex eo Conſulatu Epochae initium fuiſſe Antiochenis, quod, tertio Luſtro abſoluto, penſitationis tributorum Civitati & Provinciae indictorum per Cn. Pompejum Magnum A. U. 590. (ſed juxta Faſtos Capitolinos, & noſtram Chronologiam 689.), C. Caeſare ac C. Figulo Coſs., novum Luſtrum iniret; cujus tributa & uſuras graviſſimas cum exigerent Pompejani,&biennio poſt C.Caeſar a Pharnacis Victoria Antiochiae fuiſſet laetanter exceptus; quo cives inſigni beneficio ſibi devinceret, acta omnia Scipionis reſcidit; novas tributorum exactiones abolevit; uſuras, in quas ante biennium inciderant, non uno modo ſublevavit; Publicanorum exactiones in meliorem formam redegit; ac denique eiſdem Antiochenis autonomiam Dictatoria lege iterum confirmavit. Acta haec a Roma Condita 707. (juxta nos, & Faſtos marmoreos 706.) C. Julio Caeſ. Dictatore iterum annum aperiente, qui tertius erat luſtri quarti ab indictis per Pompejum tributis. Quod autem biennii praecedentis immunitate gaudere eos voluiſſet, ab ipſo Luſtri exordio beneficii memoriam nova Aera conſignare ſtuduerunt.

Car-

*Petronio Antiochenſium Anno XC.* Nummus viſitur in Theſauro Regis Chriſtianiſſimi, & in Muſeo Mauroceno. Annus nonageſimus Antiochenorum, ductus ab Autumno U. C. 704., in noſtra ſententia coepit ineunte Autumno U. C. 793., & deſiit Autumno U. C. 794. ex Palilibus, Chriſti vero 41: quo ſcilicet anno ex Februario jam imperabat Claudius. Quotquot numiſmata viſa ſunt hactenus Aera Antiochenſium inſignita, ea cum noſtrae Chronologiae rationibus adamuſſim conſentiunt.

## §. V.

*Intermiſſio Aerae Antiochenae ſub Hadriano, quae duplex oſtenditur ex Nummis, Juliana, & Auguſtea.*

VErum intermiſſus Aerae uſus noſcitur in Nummis, aliiſque monumentis ſub finem Saeculi Primi Aerae Chriſtianae, aut paulo poſt initium Secundi, quando ſcilicet Hadrianus *Antiochenſes ita odio habuit, ut Syriam a Phoenice ſeparare voluerit, ne tot Civitatum eſſet Metropolis*, uti Spartianus perſcripſit. Multo autem durius habiti fuerunt Antiocheni ſub Severo, quod partibus Nigri faviſſent, uti ex Herodiano lib. 3 Vaillantius obſervat *de Colon.* in Veſpaſiano. Poſtremum, quem viderim, Num-

 mum

mum Epocha notatum Saeculo primo Aerae Chriſtianae apud Antiochenos, eſt is, quem Tito cuſum videmus, anno, quo Hieroſolymam victor obtinuit. Eſt autem hujuſmodi inter noſtra Cimelia aſſervatus. Annus cxx. & annus cii. ibi viſuntur expreſſi. ANtiochiae cxx. & cii. Duplex Epocha, octodecim annorum intervallo diſcreta, denotat Caeſarianam U. C. 704., & Auguſteam ab Actiaca Victoria U. C. 722., quae totidem annis invicem disjunguntur. Reſpondet autem utraque cxx. & cii. inde numerata anno 70. Aerae Chriſti Communis, quo poſt Palilia U.C. decurrebat annus 823., clarus victoria Hieroſolymitana a Tito reportata, Epochae Caeſarianae anno cxx., & Actiacae cii. ineunte per Autumnum, proxime ſubſequutum expugnationem Civitatis, ac Templi. Obſervat autem Vaillantius (1), omnes Antiochenſium Nummos, Aera Juliana conſignatos, una cum nominibus Rectorum Syriae, latinam Imperatorum praeferre epigraphen, & aliquando literas S. C. ibi appoſitas *ad indicandum, quod illi confirmaſſent facultatem, ipſi a Senatu cundendae monetae conceſſam*. Poſtquam (2) vero ſub Flaviis ornatur latinis literis ANTIOCHIA; in odium Hadriani incidens, & Primatu exuta, mox

[1] In Numiſm. Graec. pag. 254.
(2) Vaillantius ibi.

mox durius habita ſub Severo, nullatenus Latine ſcripſit, etiamſi facta fuerit Colonia ſub Caracalla. Integro igitur ſaeculo cum ſiluiſſet Epocha Antiochena Julii Caeſaris, ejuſdem ex beneficio ita dinumerata in Nummis ibidem percuſſis, vix in eiſdem invenitur Aera deinceps adjecta. In Severo Alexandro, apud Vaillantium loco laudato, & in libro de Coloniis, reperitur iterum expreſſa Epocha ΔΟC 274.: quam interruptam, an Curatores Monetae repetierint caſtigate, vel anno tardius, dubitare me cogit diverſitas numerorum, quae apud Hiſtoricos ſubinde occurrit. Eminentiſſimus Noriſius, licet ex pluribus teſtimoniis Euſebii, Evagrii, & Chronicorum Malalae, ac Antiocheni, quod vocant Siculum, pleroſque numeros conſentire doceat cum exordio Aerae per ipſum aſſumptae ex autumno anni 705. (nempe ex anno Probi ſecundo, quem Euſebius numerat Antiochenorum 325. id proveniat; ex anno Imperii Diocletiani XIX. die VII. Kal. Martii, ipſo Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Coſs. Chriſti 303., quo tempore idem Euſebius numerat Antiochenorum annum 351.; ex Conciliorum Actis, Nicaeni quidem, quod Origenes celebratum ait anno 636. Aerae Alexandri, qui fuit 373. Aerae Antiochenae, die 9. menſis Haziran cum Junio Romano concurrentis; Chalce-

 do-

donenſis vero A ſt.z.) & ex pluribus locis Evagrii lib.4. cap.1. & 9. & Chronici Alexandrini in morte Pulcheriae anno Conſulatus Vincomali, & Opilionis, Syromaced. 763, Antiochenorum 501. XII. Kal. Martii); attamen queritur, numeros in Chronico fuiſſe vitiatos, tum in textu, tum in Scholiaſte ad annum Chriſti 491., & Aprilis diem XI., majoris hebdomadae Fer. V., qua Anaſtaſium Imperatorem coronatum Chronicon refert anno Antiochenorum ΖΛΦ DXXXVII., qui eſſet dicendus ΘΛΦ quingenteſimus triceſimus nonus: perperam addente Scholiaſte poſt eam correctionem ΘΛΦ 539, hunc annum Antiochenum coepiſſe a primo Juliano ante Aeram Chriſti 45. *Adde his annos Chriſti 494. colliges* 539: cum addendi non eſſent 494 Aerae Chriſti, coronam ſuſcipiente Anaſtaſio Aerae Chriſti Communis 491.

Cum igitur ex tam ſera reſtitutione computi annorum Antiochiae, jam interrupti ſub Hadriano, dubitandi ſit locus, an perinde evenerit Epochae Antiochenae, ut accidit Romanae ab Urbe Condita, nempe ut idem annus Marcelli & Lentuli Coſs. exempli gratia diceretur Varroni quintus, Faſtis marmoreis quartus, Catoni tertius & ſeptingenteſimus Urbis Conditae; & cum mihi non conſtet ſeriem annorum Caeſarianam, numeratam in Nummis ſub

ſub duodecim Caeſaribus ab anno 704, ejuſdem eſſe putationis, ac ea ſit, quam deinceps uſurparunt poſt Caracallam Antiocheni ab anno 705.; idcirco non judico, a poſteriori Epocha Chronici Alexandrini, & Malalae, tum etiam Euſebii, & Evagrii, qui omnes poſt Caracallam ſcripſerunt, petendas eſſe rationes, quibus componatur cum altera ſuperiori, per annum maturius inita, & exacte reſpondente Nummis Claudii, & Titi, aliorumque Principum Romanorum: praeſertim (1), cum recuſa illa poſterior Epocha Indictionum Cyclo proleptico aptata eſſe videatur poſterioribus ſaeculis; diſſimulata facilius differentia, quae fuerat unius anni ab Epocha vera Caeſareae immunitatis, ut Cycli integritati conſuleretur. Addo inſuper, non ſolum mihi non conſtare, an eadem putatio ſit, ſed Antiochenos Hiſtoricos ſi audiam, conſtare omnino diverſum. Nam Auctor Chronici, vulgo dicti Alexandrini, quem Critici concedunt fuiſſe potius dicendum Antiochenum, diſerte affirmat, Aeram, quam aetate ſua numerabant Antiocheni, coepiſſe a tempeſtate verna ex die XII. Maji Chron. Alex. 449, Lepido & Planco Conſulibus.

§. VI.

(1) Vide Lydiat. pag. 4. poſt. 200.

Digitized by Google

## §. VI.

*Anni reſtitutio neceſſaria oſtenditur ex Aera Laodicena.*

AEra Laodicena, a beneficio C. Julii Caeſaris ſimiliter deducta, biennio poſt Antiochenam (nam Laodiceni ab αὐτονομία, non a luſtro indicti tributi, & remiſſionis, computandi initium fecerunt), nempe ab Octobri U.C. 706., mirifice comprobat aſſertum noſtrum de anno reſtituendo, qui expunctus e Faſtis fuit anno necis Cajanae: quod ita comprobatur.

Demonſtrat Eminentiſſimus Noriſius, Laodicenos, a Caeſare Dictaturam ſecundam tunc gerente, libertatem conſequutos, quo anno is ex Aegypto redibat, confecto bello Alexandrino, & contra Pharnacem movens, ac Syriam Provinciam conſtituens in profectione, dum commorabatur, juxta Hirtii (1) Ephemeridem, fere in omnibus Civitatibus, quae majore ſunt dignitate, praemia benemeritis, & viritim, & publice diſtribuens. Tunc vero temporis Scipio debitam BIENNII pecuniam exegerat, ut Caeſar ſcribit *Bellor. Civ.* lib. 3. cap. 32: cum ipſe Caeſar circa Aprilem Laodiceae moraretur, & ejuſdem libertatem lege dictatoria ſanciret. Fuerit itaque poſt biennium ejus luſtri ab Octobri

(1) Hirt. edit. Venetae pag. 442. lib. 3. cap. 65.

bri U.C.704. inchoati, prima immunitas Laodicenorum referenda ad Octobrem U. C. 706., cujus etiam gratia Julienſium Laodicenſium nomen tulerunt, ut Nummi comprobant ab Eminentiſſimo Noriſio producti & explicati. Eiſdem ex Nummis, praecipue autem ex eo, quem Trajano Laodicea cuſit ſignatum titulo Parthici, & Aera Laodicena BΞP. 162. (referenda ad aeſtatem anni Aerae Chriſti 115., C. Vipſanio Meſſala & Pedone Virgiliano Coſs.; quando, capta Cteſiphonte, *Parthici* cognomen a Legionibus delatum Trajanus admiſit, qui etiam annus ex Lapide apud Gruterum p. ccc. ab Urbe Condita numeratur a Palilibus 867.) perſpicue probatur, Aerae initium optime conſtitutum ex Octobri anni Juliani proleptici, U. C. 706. Jam vero, ſi Antiochenorum Aera *biennio* praevertit, ut ex narrata Scipionis exactione colligitur, neceſſe pariter eſt, figere initium Aerae Antiochenae, & luſtri quarti Tributorum a Pompejo indictorum Octobri U.C.704., uti praeſtitimus.

Diſſimulare tamen non debeo, Eminentiſſimum Scriptorem, qui haec primus dilucidavit, aliter ſentire de diſtantia Aerae Laodicenorum ab Antiochena. Putat enim, quo anno Syromacedonum jam adulto, circa Aprilem Romanum in ſecunda Caeſaris Dictatura, liber-

bertatem conſequebantur Laodiceni, ejus anni exordium, ab Octobri praecedente petitum, ante Caeſaris alteram Dictaturam, feciſſe initium numerationis Epochae aſſumptae. Aliter viſum Lydiato in ſuis Canonibus Chronologicis, qui (1) ſcribit in ſecunda Caeſaris Dictatura, *menſe Artemiſio conveniente Majo Juliano, videntur demum Syri Laodiceni inſtituiſſe annorum Epocham uno anno, & Octimeſtri, ſive omnino viginti menſibus poſt illam Antiochenorum*. Nos integro biennio Aerae utriuſque diſtantiam metimur, ſi prioris illius Antiochenorum Aerae nummariae ratio habeatur, quam ſignarunt uſque ad Titum. Alterius vero, quae ab Antiochenis repetita eſt poſt Severum, & annali ſpatio poſterior eſt habita, unius anni differentiam a Laodicena ſtatuimus: quam proinde Euſebius ſecundo anno Probi, juxta Antiochenos 325., juxta Laodicenos 324., conſignat: tum etiam Chronicon Alexandrinum unico anno ſejungit, uti obſervavit Card. Noriſius (2), licet perperam in eo Chronico dicatur, ab XII. die Maji, ſive Artemiſii, Antiochenos ſuam Aeram auſpicari: & Indictionem a Kal. Sept. quam Cardinalis Doctiſſimus demonſtrat ab Autumno fuiſſe inchoatam. Apud eundem Eminen-

(1) Pag. 4. poſt 200.
(2) *De Epoch. Syromaced.* pag. 271.

nentiſſimum Scriptorem Gabalenſes probantur Aerae ſuae exordium deduxiſſe anno ſolido poſt Laodicenos. Erunt itaque quatuor Epochae ita diſtinguendae, & aſſignandae juxta noſtram Chronologiam annis Urbis Conditae ex Autumno:

704. Aera prima Antiochenorum uſque ad Titum, ubi interrupta eſt.

705. Aera ſecunda Antiochena aſſumpta poſt Severum.

706. Aera Laodicena.

707. Aera Gabalenſium.

Nummus eſt apud me Caeſareae Germanicae Civitatis Commagenes, qui noſtram Chronologiam mirifice illuſtrat, etiamſi litera centenarium denotans, optari poſſit integrior. Verum, cum ea litera, cujus veſtigium tantum apparet, ſuppleatur ex Nummis apud Card. Noriſium extantibus ejuſdem Civitatis, eodemque tempore ſignatis, numiſma non eſſe omittendum heic duxi. Pars antica exhibet caput laureatum L. Veri, cujus imago nitide conſpicitur, ſed nominis literae ſunt ferme detritae. Pars adverſa Urbem exprimit muliebri figura ſaxis inſidentem, ſub qua ex undis emergit alia figura extenſis manibus, pectore tenus immerſa, non ſecus ac viſitur in Nummo Commodi apud Card. Noriſium in fine Diſſert. ſecundae

*Epoch. Syromaccd.* Literae autem leguntur in gyrum diſpoſitae ΚΑΙϹΑΡΕΩΝ ΓΕΡΜΑΝΙΚ ΕΚΡ *Caeſurienſium Germanicenſium anno CXXV.* Praeterea pone dorſum figurae ſedentis, A litera, grandior quam reliquae, denotat annum primum imperantis L. Veri. In hac epigraphe literae omnes evidentes ſunt, praeter Ρ, notam centenarii, in Aera ΕΚΡ: nam ſuperior tantum pars literae conſpicua apparet. Sed citra dubium ſupplenda, tum ex ea, quae ſupereſt, parte literae, tum ex Nummo Commodi jam indicato, tum ex altera epigraphe per Vaillantium accepta ab eodem Eminentiſſimo Noriſio, quae eoſdem numeros Aerae ſignat in Nummo M. Aurelii, cum L. Vero fratre tum primum imperantis, nempe ΚΑΙϹΑΡΕ. ΓΕΡΜΑΝΙΚ. ΕΚΡ *Caeſarienſium Germanicenſium an. CXXV.* Nullum itaque dubium ſupereſſe poteſt de numero Epochae; quae integra in M. Aurelio cum inveniatur, cumque in hoc Nummo L. Veri, ſtatim adſciti in conſortium Imperii, legantur nitide notae poſtremae ΕΚ. xxv, & appareat pars ſuperna prioris Ρ, conſtare debet, eadem ſumma annorum 125. fuiſſe notatam. Quo rurſus in Nummo cum evidens ſit litera A, index primi anni, ex quo imperare coeperunt ambo Auguſti Marcus, & Verus, iſque annus ex menſe Aprilis Chriſti 161. diffundatur ad Apri-

lis

lis 162; facile aſcendimus inde ad Aerae Germanicenſis initium, componendum cum anno Syromacedonico, qui coeperit Chriſti 36. per Autumnum, & pertigerit ad Autumnum Chriſti 37.

Chronologia noſtra conſtituit, Nigrinum & Proculum Coſs. (ſub quibus vita conceſſit Tiberius die 16. Martii Juliani, ſuccedente C. Caligula) ſpectare ad annum Aerae Chriſti 36. Cum vero eodem anno circa Kal. Julias, abrogato Proculi & Nigrini Conſulatu, faſces accepiſſet Cajus; tum, Dio refert, Antiocho Regnum Commagenes fuiſſe ab eodem Principe reſtitutum, antequam Conſules anni inſequentis crearentur. Videtur itaque ex Dione ſatis perſpicue, initium Aerae Caeſarienſium Germanicenſium (qui de nomine Caji Caeſaris Germanici ita vocari coeperunt ex hoc ingenti beneficio, ab ipſo in Regem Antiochum collato) ſtatui oportere circa Autumnum Aerae Chriſti Communis 36. Quare etiam Caji Principis ſucceſſio poſt mortem Tiberii eidem anno eſt tribuenda: unde, ſi numerentur anni ſolidi 124., pertingemus ad Autumnum Aerae Chriſti 160: quo tempore coepit annus Germanicenſium 125., diffundendus uſque ad Autumnum Aerae Chriſti 161. Primus autem L. Veri cum fratre M. Antonino imperantis annus, coepit verna,

tempeſtate Aerae Chriſti *161.*, uti jam demonſtratum fuit in libro de Cyclo Caeſaris, & omnes Chronologi concedunt; adeoque componitur egregie cum notis numeralibus A & EKP in Nummo conſignatis; quae neutiquam componi poſſent, ſi differretur initium Caji ad Aerae Chriſti *37*; & ad alterum ejus Imperii (quod nonnulli faciunt) referretur Antiochi reſtitutio.

Intelligimus igitur ſeriem annorum,& paria Conſulum XXII., diſtributa, juxta noſtrae Chronologiae rationes, inter duos Geminos, & Quintum Conſulatum Claudii (excluſo utroque extremo ab hac ſumma), requiri a computis Hiſtoricorum, & optime pariari cum numeris illa aetate ſignatis in Numiſmatibus, atque in lapidibus publica auctoritate: quod erat primum a me praeſtandum in ſolutione ejus difficultatis, quae petebatur ex ordinatione Faſtorum.

## §. VII.

*Probatur par Conſulum Ordinariorum e Faſtis exemptum, eſſe reſtituendum ſub Imperio C. Caligulae.*

SEquitur alterum caput hujuſmet ſolutionis, in quo profeſſus fueram, me eſſe inquiſiturum;

rum ; quo potiſſimum anno par illud Conſulum ſit exemptum , debeatque reſtitui.

Lapides,& Nummi veteres oſtendunt, neque ſub Tiberii , neque ſub Claudii Principatu, Conſulatum & annum illum deſiderari. Conſequens igitur eſt , ut Cajanis temporibus ſit addendus.

In Tiberii Principatu non deeſſe ullum Conſulatum , perſpicuum fit ex Tribunicia Poteſtate , quam numerabat Coſs. duobus Sextis , quando Auguſto ſucceſſit XIV. Kal. Septembris, collata cum Tribunitia Poteſtate , quam ſepulcrali ejus Lapidi inſcriptam legimus apud Gruterum pag. 236. 1. Nummi,& Lapides docent , duobus Sextis Coſs. ex die V. Kal. Julii Tibeberium geſſiſſe TR. POT. XVI. , dum adhuc diceretur Auguſti filius & Pontifex , nondum Maximus , utpote Auguſto eam dignitatem obtinente . Eadem Tribunitia Poteſtate XVI. cum dicatur in Nummis DIVI. AVGVSTI. F. & PONT. MAX. , oſtenditur tum primum imperaſſe poſt Auguſti obitum,& Apotheoſim. Lapis vero ſepulcralis Tiberii habetur apud Gruterum, enunciata pag.236.1. , & Mazzocchium fol. 60. , qui ajunt , Romae aſſervari in S. Andrea prope SS. Apoſtolos , & ita inſcribitur :

OSSA

TI. CAESARIS. DIVI. AVG. F

AVG.

AVG. PONT. MAX
TR. POT. XXXIIX
IMP. VIII. COS. V

Alius item vetuſtus lapis, repertus apud Antium annis proxime ſuperioribus, & in Muſeum Vaticanum translatus, atque a Cl. Viro Marchione Scipione Maffejo in Muſeo Veronenſi p. 95. 4. editus, iiſdem characteribus Chronologicis inſignitur:

TI. CAESARI. DIVI
AVGVSTI. F. DIVI. IVLI
NEPOTI. AVG. PONTIFICI
MAXIMO. COS. V
IMP. VIII. TR. POT. XXXVIII
AVGVRI. XV. VIR. SACR.
FACIEND. VII. VIR. EPVLON
L. SCRIBONIVS. L. F. VOT. CELER
AEDIL. EX. D. D
PRO. LVDIS

Uterque vero certis Imperii, & Conſulatus notis oſtendit, poſt Tr. Pot. XVI, quam Tiberius inivit v. Kal. Julii duobus Sextis Coſs., cum Imperium ſuſcepiſſet ſpecie recuſantis, & gerebat adhuc ſequentibus Kal. Januariis uſque ad v. Kal. Julii, poſt Auguſti obitum alias XXII. Tribunitias Poteſtates iteraſſe, atque adeo poſt Coſs. duos

duos Sextos vigeſimum tertium par Conſulum habendum eſſe Cn. Acerronium Proculum, & C. Pontium Nigrinum, quibus mortem obiit xvii. Kal. Aprilis, ut Suetonius, Dio, aliique Hiſtorici teſtantur, & aenea Tabella probat apud Fabrettum *Inſcript.* cap. 10. num. 13. pag. 673, ubi Arilienſes Cajo Caeſari juramentum fidelitatis praeſtant v. Id. Maji, iiſdem Coſs. Tot autem paria Conſulum numerantur in Faſtis hoc intervallo. Nullum igitur additamentum fieri poteſt, ſalva fide monimentorum.

Nullum pariter additamentum Conſules recipiunt in Principatu Claudii, ex quo Imperium ab eo ſuſceptum fuit ad v. Conſulatum initum cum Cornelio Orfito, quem annum vidimus eſſe referendum ad Aerae Chriſti Communis 51. Tunc enim, ſuffectis Coſs. C. Minitio Fundano & C. Vectennio Severo ante iiii. Kal. Auguſti, dicebatur Claudius TR. POT. XI. COS. V., cum anno proxime praecedenti appellaretur TRIB. POTEST. X. IMP. XIIX. COS. IIII. DES. V, ut lapides complures a Panvinio relati demonſtrant. Decimus igitur annus, ac decimum par Conſulum Ordinariorum imperantis Claudii, erat Conſulatus V. ipſius, cum Cornelio Orfito, initus Kal. Jan. Aerae Chriſti 51, cum anno 41. ex die ix. Kal. Febr., quo Cajus interfectus eſt, ſuſcepiſſet Imperium.

Re-

Reliquum itaque ſit,ut Conſulatus ille reſtituendus intervallo jam memorato inter duos Sextos Coſs. & Quintum Claudii, Collega Orfito, ſit poſt annum Aerae Chriſti 36., emortualem Tiberii,Coſs. Proculo & Nigrino, & annum 42. Aerae Chriſti, quo Kal. Jan. Claudius Aug. ante quadriennium Coſs. II. deſignatus proceſſit, Collega C. Criſpo Caecina Largo.

## §. VIII.

*Auctoritate veterum Chronologorum probatur annus Imperio Caji reſtituendus.*

QUinquennium ſolidum hiſce Coſs. interponendum affirmo. Heic autem difficultas altera excitatur de Imperio Caji cognomento Caligulae; quod ex noſtra Chronologia protraheretur ad annos ſolidos quatuor, & menſes x. dieſque VIII., cum ex Suetonio *in ejus Vita* cap. 59, aliiſque Hiſtoricis triennio definiatur, & menſibus x. ac diebus VIII. Suetonii auctoritas me gravius afficeret, niſi ejuſdem Scriptoris e locis antea perpenſis augendum eſſe conſtaret hoc intervallum anno ſolido, inter Tiberium & Claudium reſtituendo. Neque vero hoc ipſum, de integro Caji quadriennio, aſſerere me quis putet abſque veterum Scriptorum teſtimonio. Nam Joannes Malala An-

Antiochenus de Caji Imperio ita ſcribit p. 312. *Senatus eum Imperatorem deſignavit, Gallo & Nonniano Coſs: imperavit vero annos* IIII. *& menſes* VII: & pag. ſequenti addit: *Hujus Imperantis anno primo, Antiochia magna, una cum parte aliqua Suburbii Daphnaci, Divinam iram ſecundo, poſt tempora Macedonum, paſſa eſt menſe Dyſtri, ſive Martii* XXIII. *matutino tempore, Aerae Antiochenae anno LXXXV.* Vidimus paulo ante Claudii Nummum ſub Petronio ſignatum ab Antiochenis anno XC ipſorum Aerae, quem pertinere conſtitui ad ejus annum primum, in Chriſti Epocha 41, deductum ab Octobri praecedente, eique cuſum paulo poſtquam caeſo Cajo IX. Kal. Februarii, ipſe imperare coepiſſet. Cum igitur Antiocheni ſuis Annalibus conſignaverint memorabilem illam cladem terraemotus anno primo C. Caligulae, die 23. Martii, Aera ipſorum 85.; neceſſarium eſt tribuere ejuſdem Imperio annos quatuor ſolidos, ac menſes plures, prout Malala tribuit pag. praecedente. Verum quidem eſt, Coſs. Gallum & Nonianum biennio praeceſſiſſe Imperium Caji; ſed Conſulum nomina non ita diligenter curabant Antiocheni, quemadmodum annos Caeſarum. Hos annos, una cum Epocha ſuae libertatis, incidebant Nummis, aetate praeſertim Auguſti, ac Tiberii. Quando itaque annos Im-

perii Caji recenſent ex ſuis Annalibus, fidem illis accommodo lubentius, quam ubi nomina Conſulum recitant: quae nullis uſibus ſignandorum Numiſmatum, aliorumve monimentorum apud eos cum adhiberentur, & praeterea cum Romae ſuffectos Conſules quamplures unicus annus ferret, negligentius intendebant iis adnotandis, quam annis Caeſarum. Praeterea nihili haberem aſſertum Malalae de ſumma annorum Caji Imperantis, ſi nullo inſigni caſu Urbis ſuae Antiochenae, ejuſdem Epocha ſignaretur. At, cum tanta ruina reddatur memorabile initium Caji, nec ſit modo conſignatus annus Aerae Patriae, ac Principis, ſed dies, & hora maximae illius terrae concuſſionis; videtur fides adhibenda huic Periochae, ex Annalibus Patriae a Malala tranſcriptae in ſuam Chronographiam.

Joannis Malalae rationibus reſpondet Chronicon Virdunenſe Hugonis Abbatis Floriacenſis apud Labbaeum *Novae Bibliothecae* Tomo 1. pag. 76. cujus verba eo lubentius afferam, quo clarius cum nobis affirmat, annum integrum eſſe inſerendum Vulgari Chronologiae inter Tiberii, & Claudii Principatum: *Anno*, inquit, *Dominicae Incarnationis XXXIX. Gajus regnavit annis IV. menſibus IX. diebus VIII. His ergo menſibus, ſi addamus ſex, qui ſuperfuerunt*

*runt LVI. anno Octaviani, erunt menſes XVI. ex quibus, quatuor detractis, annus integer Romanorum hoc in loco inſerendus videtur.*

Cum itaque aſſero, inſerendum eſſe Faſtis annum ſolidum, qui deſideratur, inter Coſs. Acerronium & Proculum, ( quibus Tiberius diem obiit), & initium Claudii, quod Aera Chriſti 41., & Antiochenorum Epochae anno xc., Nummis teſtibus, recte conſtituitur; hujus aſſerti inſolentiam nemo, ut arbitror, incuſabit; cum videat, non a me primum inventum id, aut productum eſſe, ſed olim a Malala tranſcriptum ex Annalibus Antiochiae, & ab Hugone Abbate Floriacenſi fuiſſe deductum ex collatis inter ſe rationibus ac teſtimoniis Chronologorum.

Rem tamen penitius ut inſpicere quiſque poſſit ex genuinis veterum documentis, quae ſtudii noſtri ratio conſulere ſolet attentius, ne exemplarium varietatibus, aut amanuenſium erroribus plus ſuſpicionis ingeri ſibi ſentiat, quam firmitatis; addam proximum Caput, ad illuſtrandam Chronologiam hujus quinquennii, quod interpoſitum affirmo inter Tiberii exitum, & ingreſſum Claudii.



Digitized by Google

# CAPUT V.

*Faſtorum ratio, & Chronologicae notae in quinquennio Caji diligentius inquiruntur, & pertractantur.*

## §. I.

*Cauſae turbatae Chronologiae ſub Imperio Caji.*

PArs eſt non minima declarationis hujus quinquennii, quod bimeſtri ſpatio minus exegit in Imperio Cajus, hiſtoria ipſa obſcurationis ac tenebrarum, quas illi offudit tum implexa ratio geſtorum, tum deliberata voluntas Principum, quae potiſſima cauſa fuit (ut paulo poſt aperiam) pervertendi menſuras Chronologicas iſtius aetatis.

## §. II.

*Conſulum Ordinariorum ſub Cajo poſt annum alterum ejus Imperii vix ullum ſupereſſe genuinum documentum.*

OBſervatum eſt, Conſules Ordinarios, qui proceſſerunt Kal. Januariis imperante Cajo, nullis in antiquis lapidibus legi, nec omnes ab Hiſtoricis aperte memorari. Decreverat quidem Senatus, in ſpem ingentem adductus de filio Germanici, ut Conſulatum, Proclo & Ni-

Nigrino confeſtim abrogatum poſt mortem Tiberii, ſtatim Cajus iniret, & quotannis deinceps gereret. Verum Cajus (1) ea Decreta nequaquam admiſit prae animi moderatione, quam ſimulabat; ſed, exacto ſemeſtri Magiſtratu, ad quod tempus faſces acceperant Conſules Ordinarii, tum demum Kal. Julii Conſul ipſe proceſſit cum Patruo Claudio. Sequentes autem Kal. Januarias ipſe non aperuit auſpiciorum cauſa, cum aegritudine detineretur (2); ſed ex his, qui dudum deſignati fuerant Coſs. M. Aquilius Julianus & P. Nonius Aſprenas, annum ſignarunt. Conſulatus deinde ordinarios tres ipſe geſſit, & quidem ſerie non interrupta, ut ex Nummis aperte demonſtratur, qui TR. POT. III. exhibent, tum COS. DES. III. tum Cos III. & TR. P. IIII. ſociant cum titulo COS. III .& cum COS. QVATer.

## §. III.

*Diſſidia Veterum Scriptorum in Conſulibus ſub Cajo recenſendis.*

Hinc vero reſultat evidens perturbatio Chronologiae, etiam in Hiſtoricis ejuſdem Saeculi. Nam Suetonius *in Vita Caji* cap. 17., duos

(1) Dio lib. 59. pag. 645.
(2) Ibi, pag. 646.

17., duos noviſſimos tantum affirmat fuiſſe conjunctos: *Conſulatus*, inquit, *quatuor geſſit: primum ex Kal. Julii per duos menſes: ſecundum ex Kal. Januarii per triginta dies: tertium uſque in Idus Januarii: quartum uſque ad VII. Idus eaſdem. Ex omnibus duos noviſſimos conjunxit*. Corrigunt (1) merito Critici,& reponunt, *Ex omnibus tres noviſſimos conjunxit*. Quibus autem Collegis ordinarios faſces acceperit, Dionis Hiſtoria memorat: nempe, in ſecundo Conſulatu aſſignat Collegam L. Apronium; in tertio nullum, cum ſolus iniverit Magiſtratum Lugduni, eo pridie mortuo, qui fuerat deſignatus; & in quarto Cn. Sentium Cn. filium Saturninum. Ita fert index praefixus libro Dionis LIX. Sequitur liber LX., ubi Conſules a Dione non perſcripti,ſed a Leunculavio ſuppleti recenſentur, uti obſervat Eminentiſſimus Noriſius *Epiſtolae Conſularis* pag. 27.: ubi etiam animadvertit, Proſperi,& Caſſiodorii Faſtos, ex altero Caligulae & Apronii Conſulatu, eſſe corruptiſſimos. *Proſperi*, ait, *ac Caſſiodorii Faſti heic corruptiſſimi ſunt: nam hoc anno, ac ſequentibus fictos Conſules exhibent, quos bonus Panvinius plerumque ſuffectos maluit appellare, quam falſos*. Taciti Annales, in poſtremo anno vitae Tiberii abrupti, extremo libro VI. totum ſpa-

(1) Petavius de Doctrina temporum lib. XI. Cap. 8.

ſpatium Imperii Cajani vacuum relinquunt: neque res Claudii nobis reſtituunt maturius, quam anno ſexto Principatus ejuſdem, Aſiatico II. & Silano Coſs. In hoc Romanorum Hiſtoricorum defectu, ſubſidio nobis eſſe poſſent duo Scriptores Hebraei, nempe Philo Judaeorum diſertiſſimus, idemque Alexandrinorum Legatus ad Cajum; & Joſephus, cujus Hiſtoriae, duorum Principum (Titi nempe Auguſti, & Agrippae Regis) teſtimonio & ſubſcriptione firmatae, publici documenti fidem ferme obtinuerunt. Verum Joſephus a Philone nonnihil diſcrepare notatus eſt per clariſſimos Auctores; ita ut Baronius, ad annum Chriſti 42., eundem falſi arguat, (uti obſervat Noriſius *de Nummo Herodis Antipae* pag.73.primae Editionis),cum Judaeos ad Petronium Syriae Praeſidem Tiberiade agentem veniſſe ait, deprecatum Statuae dedicationem,*neglectis interim agriculturae operibus, cum maxime ſementis eſſent tempora, & Philo tum ſuperſtes teſtetur, id tempore meſſis contigiſſe*: quod mirum in modum turbat Chronologiam, praeſertim obſervante Noriſio, *ab Autumno ejus anni coepiſſe annum Sabbaticum, quo Judaei agros ſerere vetabantur*, qui, juxta ejuſdem Noriſii calculos, erat a Palilibus U. C. 793., Aerae Chriſtianae 40. Quantum vero turbarum excitent hujuſmodi diſ-

diſſenſiones, facile arguitur ex deſperata propemodum interpretatione characteris Chronologici, ab eodem Cardinali Noriſio vulgati *in Nummo Herodis Antipae*, ejuſque Regni anno XLIII., ibidem ſignato per literas ΜΓ, qui eruditiſſimae Diſſertationi anſam praebuit, adjectae Epochis Syromacedonum. Nam conſtituto ſemel initio ejus Regni menſe Septembri anni U. C. 750., quo Herodes Magnus ejus Pater deceſſerat, *inde* (1) *numerati duo & quadraginta principatus Herodis Antipae, iidem exiſſent menſe Septembri A. V. 792., Chriſti 39., coeptuſque fuiſſet annus XLIII. in delineato Nummo obſignatus, eodem Herode jam ante menſem a Cajo Caeſare apud Bajas in exilium detruſo*. Quocirca ad Nummi auctoritatem conciliandam cum fide Hiſtoricorum, neceſſe eſt affirmare, cuſum fuiſſe in Herodis Tetrarchia Nummum anni 43 ejus Regni paulo poſt udituri, antequam nuncius detruſionis illius e Tetrarchia, ac deportationis in exilium eo perveniſſet. Sed hinc rurſus oriuntur difficultates de memorato initio Herodis Magni: *Recte quidem* (ait Noriſius) *anni colliguntur; ſed initium Regni Herodis Magni, quod contigit poſt Aeſtatem A. V. 714., poſitam Chronologiam turbat, dum pro anno 37 Regni Herodis, ac pro 43 Antipae ejus filii*, pau-

(1) Noris pag. 71 primae Editionis.

*paucos tantum dies relinquit*. Recurrendum itaque videtur ad Kepleri ſententiam, quam veriſimilem cenſent Petavius, & Petitus, ut ſcilicet Judaei annos ſuorum Regum, computarent a menſe Niſan, exterorum a menſe Tisri. Neque id tamen ſatis medetur antilogiae Hiſtoricorum, & Nummi, *cujus quidem Chronologiam* (ſunt verba Cardinalis (1) Noriſii) *difficilem reddit Joſephus, ſcribens, eum Tetrarcham a Cajo Caeſare apud Bajas auditum, ſtatimque exilio mulctatum: niſi enim ille Bajas nominaſſet, facile anni XLIII Tetrarchiae in Nummo Herodis obſignati exponerentur. Verum, uti vides, non tantum annus, ſed & tempeſtas quoque anni, ſive menſis, in conſiderationem venire debet, ut Herodes condemnatus dicatur, quo tempore Cajus apud Bajas diverſabatur: quod quidem contigit jam extremo fere Auguſto menſe A. V. 792, priuſquam Imperator repentinam contra Germanos expeditionem ſuſciperet: & iterum anno Urbis proximo 793. die 31. Auguſti Natali ſuo, Romam reverſus, adulto autumno, Puteolos tranſmiſit, quemadmodum ex Philone, Suetonio, ac Dione hactenus demonſtravi. Num vero anachroniſmos admiſerim, tu videris, qui me, exponendis tot diverſis Syromacedonum Epochis laſſum, in novas haſce Chronologicas trieas conjeciſti,*

Kk

(1) Pag. 78. primae Editionis.

Digitized by Google

*ciſſi, quas tamen prae eximia tua eruditione, ac ſingulari doctrinae temporum peritia longe probabilius expedies*. Ita concludit Doctiſſimus Cardinalis Diſſertationem ſive Epiſtolam ad Pagium conſcriptam de Nummo Herodis, de cujus antiquitate ſe primum dubitaſſe ſignificavit, cum non vidiſſet. Tanta nempe ſylva difficultatum ei excreverat ex numero annorum ibidem inſculpto, ut, ſi conferatur cum dictis Hiſtoricorum res Caji proſequentium, dubitare viſus ſit de ſua ipſa interpretatione ſcientiſſimus Auctor Syriacae Chronologiae, num anochroniſmis laboraret. Profecto non ſatis exhauſta videtur ea difficultas, quae Uſſerium impulit ad differendam collationem ditionis Herodianae Regi Agrippae poſt annum alterum a damnato Herode: cui alia ſuccedit ex latinis Nummis indubitatae fidei adeo gravis, ut diſſolvi nequaquam poſſe videatur conjecturis hucuſque prolatis per doctiſſimos Auctores, niſi annus quartus ſolidus nobiſcum admittatur Imperii Caji, cum x. menſibus eumdem annum quartum ſubſecutis. Proponenda eſt prius Uſſeriana, tum noſtra difficultas.

Obſervat Uſſerius, apud Joſephum cap. 7. lib. 19. quatuor annos Regni tribui Agrippae ſub Cajo, *in Philippi Tetrarchia per triennium*, *cui*

*tui quarto demum anno acceſſit & Herodis Tetrarchia*. *Cum Agrippa* ( ſubdit Noriſius cum Uſſerio ) *Philippi ditionem obtinuerit a novo Imperatore Cajo verna tempeſtate A. V. 790. Chriſti 37., quartus annus eidem inchoabatur ſub initium Veris A. V. 793., Chriſti 40., Cajo in Galliis Britannicam expeditionem meditante: unde a Cajo, in Urbem reverſo, Herodis Tetrarchiam accepiſſe videtur. Uſſerius ob laudatum Joſephi teſtimonium ſcribit, Galilaeam altero poſt damnatum Herodem anno, Agrippae Regno adjectam fuiſſe*. Si quarto Caji anno ineunte U. C. 793., Chriſti 40., alter jam labebatur annus ademptae Herodi Tetrarchiae, fateri neceſſe fuerit, anno ſecundo Caji U. C. 791, Chriſti 38., juxta hunc Chronologum, Herodem fuiſſe Tetrarchia ſpoliatum a Cajo, apud Bajas agente, ante initium Septembris. Duplex id prohibet auctoritas. Prima eſt Nummi conſignantis annum 43. Herodis Tetrarchae aut inchoatum, aut inchoandum poſt paucos dies in Galilaea, antequam Nuncius illius damnationis eo perveniret. Si anno U. C. 750. iniit per Autumnum primus annus Tetrarchiae Herodis; non potuit maturius inchoari tertius & quadrageſimus ejus regiminis, quam a Septembri U. C. 792, exacto jam anno ſolido ejus damnationis. Auctoritas altera, evertens



Digitized by Google

Uſſerii ſententiam, eſt aſſertum Joſephi, qui altero Caji Principis anno narrat, Agrippam, Regia ditione jam donatum, impetraſſe veniam navigandi in Patriam ordinandi Regni cauſa, & Cajo Auctore, expectatis eteſiis, contendiſſe primum Alexandriam, quod contigit menſe Auguſto. At Herodes eo anno damnari nequaquam potuit ante Kal. Septembris, cum Palaeſtina diſceſſerit ſuaſu invidae Uxoris diu poſt adventum Agrippae. Citius itaque non contendit in Italiam, quam per hybernam tempeſtatem proxime conſecutam, qua tertius annus Caji inſtabat, proxime inchoandus menſe Martio. Tum vero in Bajanum ſeceſſum profectus Cajus, vel adulto Vere, vel Aeſtate ineunte (nam bis ſaltem per id tempus Bajas inviſit, ut Card. Noriſius probat), audire potuit Herodem, &, in Bajano agens, eumdem damnare, labente anno tertio Imperii ſui, Aerae Chriſti juxta hos Chronologos *39.*, juxta nos vero *38.* Circa poſtremos anni menſes Cajum profectum fuiſſe in Galliam COS. DES. III., & TR. POT. III, cognoſcimus ex Nummis, & Hiſtoricis. Illi Coſs. III. cum TR. P. III. uſque ad Martium proximum perduratura conjungunt. Hi vero, initum Lugduni tertium Conſulatum a Cajo abſque Collega, memorant. Rurſus Nummi ſunt teſtes, eodem COS. III., nempe anno Aerae

Aerae Vulgaris juxta alios 40., juxta nos *39*, poſt diem *16*. Martii numeraſſe Cajum TR. P. IIII. Eadem Tribunitia Poteſtate IIII ſignatus eſt Nummus ex aere minimo, cum nota quarti Conſulatus COS. QVAT., quem Conſulatum propterea fatendum eſt, continuata ſerie junxiſſe duobus ſuperioribus ordinariis a ſe initis, II. quidem in Italia, III. vero Lugduni, cum expeditionem Britannicam, & Germanicam meditaretur.

Tum vero inſanum illud ſpectaculum Puteolis edidit in Ponte a ſe jacto, quod a Dione deſcribitur lib. *59*. pag. *653*., quando thorace Magni Alexandri abuſus, in eam Urbem, quaſi in hoſtes, celeriter irruit: & inſequenti die, quaſi a praelio feſſus, quum quieti ſe dediſſet, mox curru triumphali per Pontem revectus eſt ſpoliis Parthicis, & obſide Dario ex genere Arſacidarum comitatus. *Et quia opus erat, nimirum eum tanta expeditione facta, ac tanta victoria impetrata, concionem habere; ſuggeſtum conſcendit in medio Ponte*, & Adlocutionem ad milites habuit, cujus memoriam in Nummis extare voluit, ſignatis TR. POT. III., ubi legitur ADLOCVTIO COH., unde hodie pretium augetur ſcriniis Antiquariorum. Hoc tamen anno damnati Herodis, Tetrarchiam non fuiſſe a Cajo attributam Agrippae Regi, di-

diſerte tradit Joſephus, qui, anno quarto Imperii, ab eo perceptam affirmat hanc acceſſionem ditionis ante triennium impetratae. Quod adnotaſſe non pigebit; cum adjumenti plurimum conferat ad integram Chronologiam aſſequendam Cajani Imperii, ultra ſolidum quadriennium, ex Malalae, aliorumque, quos retuli, noſtriſque ex rationibus extendendam. Circa finem anni, quo TR.POT.III. ex Martio menſe gerebat, COS. DES. III. in Nummis dicitur Cajus. Aſſeritur quoque a Suetonio eodem anno in Galliam profectus, cum ibidem COS. III. ſolus proceſſerit proximis Kal. Januariis, TR. POT. III. adhuc numerans, ut Nummi teſtantur. Quo anno COS. III. proceſſerat, TR. POT. III. adhuc gerens, eodem inivit TR. POT. IIII. die 16. Martii, triennio ſolido Imperii ſui jam expleto poſt mortem Tiberii. An vero, cum primum in Gallias profectus eſt, tunc ſuſceperit expeditionem Germanicam, & Britannicam (ut plerique cenſent), ipſe admodum ambigo. Affirmat Dio, ducentis ferme annis a Cajo diſſitus, qui, pecuniae conquirendae cauſa, Caji profectionem in Galliam memorat, *obtentu Germanici belli uſum*; *ſed revera in animo habentem, Gallias quoque opibus florentes, & Hiſpanias expilare*. Suetonius vero, natus triginta circiter annis poſt mortem Caji,

Caji, expeditionem ſuſceptam, non deſtinato, ſed impetu quodam effraenis animi praecipitanter appetentis, affirmat: *Militiam*, inquit cap. 43., *reſque bellicas ſemel attigit, neque deſtinato; ſed cum ad viſendum nemus, flumenque Clitumni Mevaniam proceſſiſſet, admonitus de ſupplendo numero Batavorum, quos circum ſe habebat, expeditionis Germanicae impetum coepit: neque diſtulit, ſed Legionibus, & auxiliis undique excitis, delectibus ubique acerbiſſime actis, contracto & omnis generis commeatu, quantum numquam alius, iter ingreſſus eſt: confecitque modo tam feſtinanter, & rapide; ut Praetorianae Cohortes, contra morem, Signa jumentis imponere, & ita ſubſequi cogerentur: interdum adeo ſegniter, & delicate, ut octophoro veheretur, atque a propinquarum Urbium plebe verri ſibi vias, & conſpergi propter pulverem exigeret*. Ex hiſce poſtremis Suetonii verbis, necnon ex praecedentibus, comprobat Card. Noriſius iter expeditionis Germanicae ſuſceptum a Cajo fuiſſe ſub initium Autumni, *nondum imbribus, ut adulto Autumno fit, pulverem in lutum demutantibus*. Ceterum, Suetonius (1) coarguit & refellit conjecturam eorum, qui cauſam ſpectaculi Puteolani ſuſpicabantur fuiſſe, *ut Germaniam, & Britanniam, qui-*

(1) Cap. 19.

Digitized by Google

*quibus imminebat, alicujus immenſi operis fama territaret*. Ab Avo enim ſuo ſe puerum audiſſe memorat, *cauſam operis ab interioribus Aulicis proditam, quod Thraſyllus Mathematicus, anxio de Succeſſore Tiberio & in verum nepotem proniori, affirmaſſet, non magis Cajum imperaturum, quam per Bajanum ſinum equis diſcurſurum*. Quae conſentiunt narratis cap. 43., Expeditionis ſcilicet Germanicae impetum forte fortuna conceptum a Cajo, non deſtinato, ſed occaſione ſupplendi numeri Batavorum, quos circum ſe habebat. Haec vero ſi conferam cum traditis a Dione (1) loco paulo ante perpenſo, quo aſſeruit, Cajum, obtentu Germanici belli uſum, abiiſſe in Gallias, ut eas Provincias, & Hiſpanicas opibus florentes expilaret (mox addit: *Abitum ſuum non palam prius oſtendit, ſed in ſuburbium progreſſus, inde ſubito diſceſſit, abductis ſecum multis ſaltatoribus, gladiatoribus, equis, mulieribus, ac reliquo luxus famulitio*; cum e converſo, Germanicae expeditionis repentinum conſilium palam edixerit, juſſis auxilia conferre Legatis, & delectibus, ubique acerbiſſime actis); haec, inquam, ſi invicem confero, videtur mihi duplex profectio in Gallias eſſe Cajo tribuenda; prior, an. III., ut ſpoliis Provinciae augeret aerarium, ne-

[1] Pag. 659.

Digitized by Google

nepotinis ſumptibus exhauſtum ; altera, anno quarto, ut obtentu belli Germanici, & Britannici, nova populatione eaſdem Regiones ſpoliaret. Primam, peregrinationis nomine, alteram, expeditionis inſtituiſſe. Illi per Siciliam maritimo trajectu, huic per Umbriam, & Alpes terreſtri itinere ſe commiſiſſe. Refert enim Suetonius cap. 20 Spectacula peregre edita a Cajo: *in Sicilia Syracuſis Haſlicos Ludos* ( alii legunt *Acticos* ), *& in Gallia Lugduni miſcellos, & certamen Graecae facundiae*: quibus Ludis & certaminibus aptari videtur ſaltatorius ille delectus, qui *tacite abeuntem Cajum ſequutus eſt*; *ut audiverat narrari Dio, quando Cajus in ſuburbium progreſſus, inde ſubito diſceſſit, abductis ſecum multis ſaltatoribus, equis, mulieribus, ac reliquo luxus famulitio*. Secundae autem profectioni, obtentu Germanici, & Britannici Belli, per Umbros ſuſceptae, comitatus militaris reſpondet Cohortium Praetorianarum, ita feſtinanter & rapide ſubſequentium, ut contra morem Signa jumentis imponere cogerentur.

* * *
* *
*



Digitized by Google

## ſ. IV.

*Difficultates geſtorum ſub Cajo tolluntur, admiſſo quinquennio ejus Imperii, inchoato juxta Malalam Antiochenum, & Chronicum Floriacenſe.*

UBI vero haec duplex profectio admittatur, commode diſtribuuntur in annos duos geſta, quae in unum coarctari non poſſe videntur, niſi vis inferatur Hiſtoriae etiam in geſtis, tum a Petronio Syriae Praeſide a ſe directo in locum L. Vitellii, tum a Judaeis & Agrippa, per Joſephum & Philonem commemoratis; quae ſunt haeic breviter perſtringenda, ut appareat neceſſitas ſolidi quadriennii, & menſium ferme X, Imperio Caji tribuendorum.

Obſervat Cardinalis Noriſius (1) ex hiſce Hiſtoricis, quorum uterque vixit imperante Cajo, duos priores annos ejuſdem Principatus commodis moribus eidem exactos fuiſſe: *Cajus,* inquit, *A. V. 790. Imperium indeptus, priori, ac altero anno optimum Principem egit, teſte Philone, Joſepho, Suetonio, Dione, aliiſque. At poſtea ad peſſima quaeque prolapſus, Deum ſe a cunctis adorari juſſit, ac adverſus Judaeos, Divinum ſibi cultum deferre recuſantes, novum in Syriam Praeſidem Petronium miſit. Addit Joſe-*

(1) *Cenotaph. Piſan.* Diſs. 2. pag. 330.

Digitized by Google

*Joſephus*(1):„*Petronius cum duabus Legionibus hibernavit apud Ptolemaidem, primo Vere bellum illaturus*.„ Acta igitur haec ſunt vertente an. III Imperii Cajani: & Caſtra haec hiberna Petronii apud Ptolemaidem, incidunt in eandem tempeſtatem, qua Cajus, Lugduni agens, Conſulatum tertium inibat ſolus Kal. Januarii. *Vere appetente* ( ſequitur Card. Noriſius ) *ſcripſit Cajo, meſſem expectandam, nec antea bellum inchoari poſſe: interim ſtatuam Caji, in Templo Judaeorum dicandam, ſe apud Sidonem formandam juſſiſſe: ita tempus trahens ( quod nolebat tot hominum millia ſtultitia ac ſaevitia Principis perire), nihil eo anno contra Judaeos tentavit*. Reſponſum illud Petronii praeceſſerat Agrippae poſtulatio, qui Romam reverſus, & in convivio, quo Principem exceperat, facta ſibi a Cajo optione petendi quodcumque vellet, rogaverat, ne ſtatuam in Judaeorum Templo collocaret; *ſecus Philone, uti praenarravi* [ inquit Card. Noriſius (2) ], *rem deſcribente*; *cui potior fides habenda eſt in iis, quae coram Cajo geſta ſunt: haec enim ſuis veluti oculis Philo uſurpavit*; *uti majorem fidem meretur Joſephus, dum Acta in Palaeſtina a pluribus, qui praeſentes fuerant, accepta, in literas miſit*. Pugnant igitur inter-

 ſe

(1) Lib. 18. cap. 11.
(2) Pag. 77. Epiſtolae *de Nummo Herod*...

ſe Philonis,& Joſephi Hiſtoriae, niſi hujus anni, tertium quem vocant Principatus Caji, geſta in duos dividantur. Nam, tertio Caji anno, ſi Petronius ſcripſit ad Caeſarem *ſementis tempore*, ut ait Joſephus *Antiq.* lib. 18. cap. 11. (cui in deſcribendis rebus in Palaeſtina geſtis magis fidendum putat idem Cardinalis), & perlatae ſunt Romam literae ſeneſcente Autumno, cum in comitatu Principis verſaretur Agrippa Rex e Palaeſtina redux, non id jam Bajis & in Campania poſtulare a Cajo poterat, qui circa Lugdunum agebat, initurus paucos poſt dies tertium Conſulatum. Sin vero literae datae fuerant a Petronio *tempore meſſis* (1), ut Philo affirmat, & ad Cajum perlatae dum in Campania per Autumnum ruſticaretur; & Agrippa earundem inſcius, dum Cajum ſalutaret in Urbe, & ignotum ſibi antea Principis mandatum audiſſet ſuper dedicatione ſimulacri, horrore ſubito correptus eſt; ac ſenſibus deſtitutus, vix tandem die altera ſpiritum recepit, eamque prolixam Epiſtolam ad Cajum miſit, in qua, Philone teſte, afferit, adjunctam ſibi a Caji liberalitate jam fuiſſe ditionem Herodis, nempe Thraconitem & Galilaeam; conciliari nequaquam ea geſta poſſunt cum anno tertio Principis Caji; cum diſerte Joſephus, Palaeſtinam in-

(1) Noris ibidem, pag. 75.

incolens, tradat, eam acceſſionem Regni Agrippae contigiſſe anno quarto Principatus Cajani. Solvuntur autem antilogiae utriuſque Hiſtorici, ſi in ſpatium quadriennii ſolidum geſta & Imperium Caji extendantur. Tertio enim anno, quo Herodes damnabatur, Petronius in Syriam mittitur; & Cajus, inſano ſpectaculo Puteoli deditus, mox in Siciliam trajicit, & Lugdunum petit, certamina ludicra editurus, & pecuniam a Provincialibus corraſurus. Ibi autem officii cauſa conventum fuiſſe ab Agrippa Rege ex Syria reduce, necdum Tetrarchia donato, dum tertium Conſulatum proxime eſſet initurus, colligitur ex Dione, cujus verba dabo. Poſtquam retulit damnatos a Principe fuiſſe complures in Galliis, ut eorum opibus ditaretur, haec ſubdit pag. 658. *Ceterum, non haec tantum doloris afferebant Romae, quam metus; fore ut crudelitas ac libido Caji magis adhuc augeſceret: praecipue quod ferebatur, Agrippam ei, ac Antiochum Reges familiariter adeſſe, qui eum ad tyrannidem inſtruerent. Itaque, Conſule eo tertium, nemo Tribunus Plebis, aut Praetor auſus fuit convocare Senatum. Collegam enim Cajus non habebat &c.* E Gallia tamen exceſſerat, cum Divini cultus ſibi exhibendi legem edixit vehementi inſania correptus, aliis eum Heroem, aliis Deum vocantibus. Teſtis enim Suetonius est.

eſt cap. 22., in Urbe id primum excogitaſſe Cajum: *Cum audiret forte Reges, qui officii cauſa in Urbem advenerant, concertantes apud ſe ſuper coenam de nobilitate generis, exclamavit:* εἷς κοίρανος ἔςω εἷς βασιλεὺς. *Nec multum abfuit, quin ſtatim diadema ſumeret, ſpeciemque Principatus in Regni formam converteret. Verum admonitus, & Principum, & Regum ſe exceſſiſſe faſtigium, Divinam ex eo majeſtatem aſſerere ſibi coepit. Datoque negotio, ut ſimulacra Numinum, religione & arte praeclara, inter quae Olympici Jovis, apportarentur e Graecia, quibus capite dempto ſuum imponeret, partem Palatii ad Forum uſque promovit, atque Aede Caſtoris & Pollucis in veſtibulum transfigurata conſiſtens, ſaepe inter fratres Deos medium ſe adorandum adeuntibus exhibebat: & quidam eum Latiarem Jovem conſalutaverunt. Templum etiam nomini ſuo proprium, & Sacerdotes, & excogitatiſſimas hoſtias inſtituit*. Annus quartus Imperii labi jam coeperat, cum exacta in Galliis hiberna tempeſtate, Urbique reſtitutus, haec portenta inſaniae meditaretur. Tum vero etiam Praeſidibus Provinciarum legem ſui cultus edixiſſe dicendus eſt. Si enim ante reditum Agrippae ex Syria (quem non ante annum Imperii tertium contigiſſe nemo negaverit, cum altero Principatus Caji anno, Regni ordinandi cauſa,

ex

ex Urbe profectus ſit, uti ante vidimus ex Joſepho ) lex immolandi ſibi, tanquam Deo, perlata ibi fuiſſet; profecto Agrippa, Gentis, & Templi cauſam in ipſo reditu peroraſſet. Sentiendum igitur eſt, anno tertio imperantis Caji, quo gliſcere coepit aſſentatio aulicorum ipſius impietati faventium, tum Romae, tum in Provinciis, & in Aegypto, praeſertim ab Alexandrinis aras, & ſimulacra vicatim poſita Cajo fuiſſe, uti narrat Philo. Detrectantibus vero Judaeis Alexandrinis divinos honores ipſi tribuere, anſa data eſt ſycophantis, & hoſtibus Judaeorum, eoſdem calumniis proſequendi, tum apud Praefectum Aegypti, tum apud Caeſarem: qui ſubinde ſentiens, in eadem fore ſententia Hebraeos omnes, Petronium Syriae praepoſuit (1); mandans, ut armorum vi ad ſacrificandum adigeret Palaeſtinos, & ſimulacrum ſuum ſtatueret in ipſo Templo. Petronius, contractis Legionibus ad hiberna circa ſementis tempus, dat priores literas Cajo, quibus paratum ſe ad obſequendum ſignificat, & ad inferendum contumacibus bellum, ubi ver appetat, niſi flectantur & mandatis pareant. Interea evoluto ante Veris initium anno tertio Principatus Caji, quartus jam appetebat ex die XVII. Kal. Aprilis, cum Cajus in Italiam redux, & hu-

(1) Joſ. Lib. 18. cap. 11.

& humano faſtigio major haberi cupiens, Romae ſibi Templum, & Sacerdotes deligebat. Adulta aeſtate, cum tempus meſſis inſtaret, Petronius in Phoenicia tunc agens (Philo p. 1024), prudenter admodum tempus trahens, dat ad Cajum ſecundas literas, a Philone memoratas, quibus ſignificabat, ſimulacri elaborandi negotium ſe mandaviſſe Sidoniis opificibus: ut elegantius perficeretur, tantiſper expectandum: diſſimulans ſupplicationes tot millium Judaeorum, qui eum deprecatum venerant templi injuriam. Cauſam dilatae dedicationis retulit (1) in opifices, juſſos, ut ſtatuam ſummo expolirent artificio, &, quantum fieri poſſet, exprimeret exemplaria laudatiſſima, ut eſſet durabilior. Haec autem deprecatio Judaeorum facta eſt ante expeditionem Germanicam a Cajo ſuſceptam. Nam Judaei, qui hujus rei ergo Petronium adierant ſupplices, oſtendunt, ſe juſto Imperatoris obſequio eſſe ſummopere addictos ex prima illa hecatombe pro Caji ſalute & Imperio Hieroſolymis oblata, cum primum literae Vitellio redditae fuiſſent ſuſcepti a Cajo regiminis (2). Addidiſſent profecto & noviſſimae hecatombis memoriam, pro voto Germanicae Victoriae, quam Philo coram Ca-

(1) Philo pag. 1025.
(2) Philo ibidem.

Cajo enunciavit, ſi expeditio Germanica anno tertio Imperii Cajani contigiſſet, cum ipſi haec anno quarto circa meſſis tempus Praeſidi exponerent. Addit ibidem Philo & alium characterem, unde colligitur, tunc temporis de expeditione Germanica, aut Britannica nihil admodum cogitaſſe Cajum, cum iſta agerentur coram Petronio. Nam ſubdit Philo (1) deſtinatus ad Caeſarem Legatus Alexandrinorum: *ſollicitabat etiam cura colligendorum fructuum tum arboreorum, tum arvalium. Ferabatur enim, conſtituiſſe Imperatorem navigare in Aegyptum, Alexandriam &c. Erat igitur opus, pabulum & annonam parari per omnes Urbes Syriae, praecipue maritimas. Expectabatur enim ingens multitudo terra marique ventura, non ſolum ab Urbe, atque Italia, ſed & ab intermediis Provinciis, partim honoratorum, partim militarium, equitum, peditum, navalium, nec minor ſervorum numerus, quam militum: & requirebatur non tantum modus neceſſarius, verum etiam Cajo digna rerum copia &c. Ea ſententia comprobata, ſcriptae ſunt literae; &, expeditis nunciis, truditae aſſuetis itinerum compendio.* Narrat deinde iram Caji, illudi ſibi ſentientis a Praeſide, Judaeorum calamitatis miſerto. Diſſimulato attamen ulciſcendi deſiderio, quod

Mm Prae-

(1) Pag. 1028. A.

Digitized by Google

Praeſidem timeret, reſponſum datum ſignificat, ut quantocius incumberet negotio dedicationis. Nec multo poſt ſuperveniſſe affirmat Agrippam, literarum adhuc ignarum; & ipſiuſmet Caji ex ore percepiſſe mandatum Petronio datum, Simulacri in Templo dedicandi. Hoc autem nuncio ferme exanimatus Agrippa, animi deliquium paſſus eſt per biduum; donec, recepto ſpiritu, literas ad Cajum dedit, in quibus dignoſcitur annus quartus imperantis Caji, cum affirmet (1), *adjunctam ſibi Principis beneficio Thraconitem, & Galilaeam*, quibus ſcilicet anno ſuperiori Herodem Tetrarcham privaverat. Hiſce literis nonnihil inflexus Cajus, (2) *P. Petronio mandat, ne quid in Judaeorum Templo novaret*. Gratiae attamen conceſſae mox eum poenituit, & *juſſit Romae fieri alium Coloſſum aeneum inauratum, omiſſo illo Sidonio, ne quem motum excitaret in populo: utque, navibus tranſportatum, per ſilentium, repente, clam, priuſquam ſentiretur, in Templo poneret. Id autem facturus erat obiter in Aegyptum navigans. Tenebatur enim miro viſendae Alexandriae deſiderio*. Inter haec mandata, & reſponſa, vergente ad finem aeſtate, Autumnus appetebat, quo ad Clitumni fontes Mevaniam profectus Cajus, conſilium re-

(1) Philo pag. 1037.
(2) Philo pag. 1038.

repente coepit Germanicae, & Britannicae expeditionis: cujus indicium, ni fallor, praeſtant Nummi ADLOCVTionis COHortium ſignati cum nota TR. P. IIII, quam Cajus tum temporis gerebat, diverſi a Puteolana anni ſuperioris, in qua TR.P.III. non exceſſerat. Profectus igitur in Gallias Imperator ſeneſcente Autumno, indicto Provincialium copiarum delectu, adventu Legionum, auxiliis, mimos illos praeliorum egit ad ignominiam Romani nominis. Mox Vere appetente, unde annus quintus ejus Imperii deducebatur, in Oceani litore machinas diſpoſuit, tanquam in Britannias tranſmiſſurus. Sed juſſis militibus conchilia legere, convertit exercitum ad triumphum; cum ſpolia illa Oceani, Capitolio, & Palatio debita, eſſet Romanis templis illaturus. Interea criminationibus innocentium Provincias populabatur:& in violentiorem inſaniam actus, quotidie univerſorum Numinum ſpeciem ſibi arrogabat, quam Dio luculenter deſcribit; confundens, ut ego arbitror, cum prima Lugdunenſi profectione: *Deinde converſus ad curam Triumphi*, ut Suetonius memorat cap.45. *praeter captivos, & transfugas Barbaros, Galliarum quoque proceriſſimum quemque, ac, ut ipſe ajebat, ἀξιοθριάμβευτον, ac nonnullos ex principibus legit, ac ſepoſuit ad pompam, coegitque*

*non tantum rutilare & ſubmittere comam, ſed & ſermonem Germanicum addiſcere, & nomina barbarica ferre. Praecepit etiam triremes, quibus introiret Oceanum, magna ex parte itinere terreſtri Romam devehi.* Itineris igitur tempus, & modus, geſta expeditionis, compilationes Provinciae, damnationes virorum principum, (inter quos (1) recenſendus eſt etiam Ptolemaeus Jubae filius ex Africa evocatus), apparatus triumphi, rejectio primae & alterius Legationis Roma ſibi tranſmiſſae, quam etiam obibat Claudius Patruus, & mox in Imperio ſucceſſor cum decreto Ovationis; haec, inquam, omnia, ut peragantur ex initio Octobris anni ſui regiminis quarti, quo ad bellum proceſſit, plurium menſium tempus requirunt. Ut igitur quantocius Romae ſit redditus Cajus, non ante initium aeſtatis proximae a diſceſſu in Urbem redux haberi potuit.

Tum vero Philo Judaeorum Alexandrinorum Legatus, qui adventum Caeſaris opperiebatur, per Urbanas villas diſcurſantem proſequitur; donec ad perorandam cauſam ſuae Gentis admiſſus, ut Iſidori ſibi adverſantis ſycophantias a ſe amoliretur, ſignificat Cajo, ter oblatas fuiſſe hecatombas in Templo Jeroſolymitano ſui gratia ab univerſis Judaeis: *primum,* in-

(1) Dio pag. 659.

inquit, *quando ſucceſſiſti in Imperium*: *iterum, quando illum gravem morbum evaſiſti*, *cui totus Orbis condoluit*: *tertio, votum pro victoria Germanica*, ut habet verſio Gelenii, ſive, *in ſpem victoriae Germanicae*, ut legitur in Graeco textu: Τρίτον δὲ κατὰ τὴν ἐλπίδα τῆς Γερμανικῆς νίκης. Poſtrema haec verba, quae conſulto obſervamus, non prolata a Judaeis Palaeſtinae incolis, dum anno ſuperiori Petronium adirent ſupplices, nondum ſcilicet excogitata Germanica expeditione, ſed a Philone hoc demum anno enunciata, demonſtrant manifeſte, ni fallor, quadriennium ſolidum Cajani Imperii in ipſa expeditione Germanica, & Britannica impletum fuiſſe ineunte Vere, ac ſubinde menſes evolvi coepiſſe ad quintum annum Cajani Imperii pertinentes. Ceſſat etiam, ex admiſſione ſeu reſtitutione anni adempti Cajano Imperio, difficultas anni Sabbatici, juxta aliam ſententiam incidentis in annum tertium Caji, uti obſervat, & Joſepho objicit, Eminentiſſimus Noriſius Epiſtolae *de Num. Herod.* pag. 73, cum ab anno captae Jeroſolymae, Agrippa & Gallo Coſs. U. C. juxta alios 717., juxta nos 716., annus Sabbaticus duodecimus deſinat in quartum Caji, U. C. 793., unde ceteris incipit: atque adeo, juxta noſtram Chronologiam, conſtet ratio dictorum Joſephi, quae in aliorum ſententia conſtare ne-

nequaquam poteſt. Cetera poſt eam Apologiam in Legatione a Philone geſta deſiderantur. Supplet aliquantulum Joſephus, dum narrat, Cajum certiorem redditum de Judaeorum rebellium motibus, (quos forte ciere auſi ſunt, dum ad litus Britannicum ipſe detineretur), *indigne* (1) *ferentem Gentis audaciam, & contemptum Imperii, Epiſtolam indignationis, & minarum plenam ad Petronium perſcripſiſſe mortis denunciatricem*: quae tamen reddita Petronio non fuit, niſi poſt caedem Caji, quinto menſe poſt reditum ex Germanica expeditione, perpetratam: cum adverſa tempeſtate detenti literarum latores, trimeſtre ſpatium in itinere conſumpſiſſent (2).

Ordinari igitur poteſt quadriennium iſtud, & quod abundat menſium in quinquennio non integro Cajani Imperii, tum ex genuinis monumentis Numiſmatum per ea tempora Romae, & in Provinciis cuſorum, tum etiam ex quatuor Hiſtoricis antea memoratis, Philone praeſertim, Joſepho, & Suetonio, aetatis aut ejuſdem, aut proximae; advocato in ſubſidium Dione (licet Saeculi poſterioris Auctore), ad eorum teſtimonia identidem exigendo, & revocando; ubi fortaſſe evagetur, aut perperam con-

(1) Joſeph. pag. 524.
(2) Sueton. cap. 49. Joſeph. *de Bell. Jud.* lib. 2. cap. 9.

confundat, quae in plures annos ſunt diſtrahenda. Vide in fine Capitis hujus quinquenni: diſtributionem.

## §. V.

*Inquiruntur cauſae anni ſuppreſſi, & detruncati ex Imperio Caji.*

FUerant haec nobis moroſius pertractanda, ut in ſucceſſione rerum geſtarum appareret, annos quatuor & menſes decem Imperii Cajo tributos ex Chronologia Malalae Antiocheni, Abbatis Floriacenſis, & noſtra, reſultare ex monumentis eorumdem temporum, & Auctorum, quibus ille convixit. Supereſt modo, ut inquiramus, quonam pacto ex quinquennio annus truncatus ſit, & Imperium Cajanum ab aliquo Hiſtoricorum, quos produximus, intra quadriennium ſit retractum.

Factum id judico ex auctoritate Principum, praecipue vero Claudii, ad Imperium evecti proxime poſt Cajum. Eorum ſcilicet non intererat, ut ratio haberetur anni Cajanae caedis. Immo providendum maxime fuerat tum Claudio, tum Succeſſoribus, ut ex hominum memoria ſubtraheretur Conſulatus ille, qui, Cajo e vivis ſublato, Imperii formam antiquare, & libertatis priſtinae uſum, ac Reipubli-

-blicae Romanae ſtatum reſtituere tum conabantur. Diſerte id tradunt Joſephus, Suetonius, ac Dio. Producenda ſunt teſtimonia ſingulorum: hoc enim ſemel jacto & confirmato fundamento, Chronologiae ratio facile ſuperſtruitur.

Joſephus lib. 19. oſtendit, quantum pro ſtudio libertatis reſtituendae laboraverint Conſules poſt mortem Caji, quos, libro altero *de Bello Judaico*, nominat Sentium Saturninum & Pomponium II., licet in hoc libro appellet Q. Pompejum. *Conſules* (inquit cap. 1. lib. 19. *Antiquit.*) *Edictum propoſuerunt, in quo continebatur Caji accuſatio, jubentes, ut domum redirent tam Populus, quam Milites; Populo quidem magnam relaxationem pollicendo, Militibus vero praemia, ſi modo nihil turbarent, & abſtinerent ab injuriis.* Et paulo poſt narrat (cap. 2.), poſtquam reſciverant Conſules, Claudium a militibus correptum, & ſella in Caſtra delatum, ac ſalutatum Imperatorem, coactum Senatum, in quo Cn. Sentius Saturninus longam habuit orationem pro libertate: *Etſi incredibile videtur Quirites*, ait, *quod, praeter omnium ſpem, nobis offertur poſt tam longum temporis ſpatium, tenemus tamen libertatem; incertum quidem quamdiu manſuram, & in poteſtate Deorum ſitam, quorum hoc munus eſt.*

*eſt*. Tum enumeratis malis, quae Tyrannis intulerat, ita adhortatur Senatum: *His malis levati, & nemini, niſi vobis invicem, obnoxii, (id, quod praeſentis concordiae, & futurae ſecuritatis certiſſimum pignus eſt), inſtaurate collapſum Civitatis decus, & juſta cura Rempublicam in priſtinam integritatem reſtituite*. Tum ſuadet, ut interfectoribus Tyranni praemia decernantur, non ſecus ac Brutis, & Caſſiis; *ut, pro adito libertatis amore periculo, a liberatis digna praemia recipiant &c.* Sentio adhaeret Senatus, & Equites quotquot aderant. Trebellius Maximus, ademptum Conſuli annulum, in quo erat Caji effigies, infringit. *Cheraeas ſignum a Conſulibus petiit: atque illi libertatem dederunt: adeo autem mutatas res mirabantur, ut ipſis ſibi vix ſatis crederent. Tunc enim primum, ex quo Reipublicae adminiſtratio Populo eſt adempta, ſigni dandi mos ad Conſules rediit, penes quos ante Caeſares Imperium fuit in milites. Id acceptum Cheraeas militibus tradidit his qui a Senatu ſtabant, videlicet quatuor cohortes amantiores Imperii legitimi, quam tyrannidis. Hi mox abierunt cum ſuis Tribunis; pauloque poſt etiam populus laetus, ac ſpei plenus, multum ſibi placens, ob reverſam in priſtinum ſtatum Rempublicam, & Cheraeae nonnihil tribuens &c.* Diſſidia inde ſuborta inter Senatum, qui ſtabat

pro libertate ; & Plebem , cui adverſus potentiorum injurias unius Imperium videbatur potius . *Senatus lectos ſui ordinis viros ad Claudium Legatos mittit Tribunos Plebis Veranium, & Broccum , qui eum doceant , non eſſe per violentiam affectandum Imperium : praeſtare , ut Senatui permittat curam Reipublicae , & unus ſit e Senatoribus, juxta leges proviſurus cum aliis, quomodo res adminiſtrari debeant .* Tertio capite ejuſdem libri commemorat , Claudium , ferme inflexum ad parendum Senatui , confirmatum fuiſſe ab Agrippa Rege in priori ſententia Imperii a militibus recipiendi : qui mox a Senatu vocatus, ſe Legatum eligi curat ad Claudium : eumque certiorem redditum de trepidatione ampliſſimi Ordinis ſummam rerum ut capiat , deferente etiam Senatu, tandem evincit ; cum militibus, donativo & ſacramento ſibi conciliatis , auctor fuiſſet , ut unum eligi Imperatorem a Senatu poſcerent . *Sub diluculum autem Coſs. Senatum vocaverunt in Capitolini Jovis Aedem : quorum alii delituerunt in Urbe, ne irent : alii rus mature ſunt profecti , praevidentes , quonam res evaſura eſſet ; optanteſque tutam ſervitutem cum otio , potius quam ancipitem aleam reparandae dignitatis priſtinae . Convenerunt tamen centum non amplius , quibus conſultantibus de praeſenti negotio , repente clamor*

Digitized by Google

*mor militum pro foribus ſtantium tollitur, unum Imperatorem a Senatu creari poſtulantium, ne quod detrimentum patiatur Imperium communicatum pluribus. Heic vero diſſidia ſuborta, cum multi affectarent Imperium, alii mallent libertatem aſſerere. Tandem milites, qui antea a Senatu ſteterant, ſtrictis gladiis, & ſublatis ſignis, tendebant ad Claudium, adjuncturi ſe iis, qui jam ſacramento ipſius ſe obligaverant. Ita Senatus deſertus eſt a ſuis propugnatoribus*, ET CONSULES FERME IN PRIVATORUM REDACTI ORDINEM, *moeſtitia ſtuporeque occupatis omnibus, nec ſcientibus quidnam agendum, poſt irritatum in ſe Claudium.*

Tota rerum ſeries a Joſepho mandata literis, tum heic, tum lib.2. *Belli Judaici* cap.X., & in compendium contracta, nos ſatis docet, cur Conſules, qui, caeſo Cajo, libertatis inſtauratores haberi curarunt, & priſtinum officium occupare militum ſub poteſtate habendorum, e Faſtis ſublati fuerint cura Claudii, & Succeſſorum Principum, cum etiam a Populo Romano haberi jam coepiſſent IN PRIVATORUM FERME ORDINEM REDACTI. *Ex his alter Conſulum Q. Pompejus, eo magis inviſus militibus, quod Senatum ad libertatem hortatus fuerat, caeſus ab iiſdem fuiſſet, niſi cohibuiſſet Claudius, ad quem confugerat.* Haec

geſtorum ſumma eſt ex Joſepho. Suetonius eadem breviſſime complectitur: *Conſules* (inquit cap. X. *in Claudio*) *cum Senatu & Cohortibus Urbanis Forum, Capitoliumque occuparunt, aſſerturi communem libertatem: accituſque & ipſe* (Claudius) *per Tribunum Plebis in Curiam ad ſuadenda quae viderentur, vi ſe, & neceſſitate teneri reſpondit. Verum, poſtero die, Senatu ſegniore in exequendis conatibus, per taedium ac diſſenſionem diverſa cenſentium, & multitudine, quae circumſtabat, unum Rectorem jam, & nominatim, expoſcente, armatos pro concione jurare in nomen ſuum paſſus eſt: promiſitque ſingulis quinadena* H-S PRIMUS CAESARUM FIDEM MILITIS ETIAM PRAEMIO PIGNORATUS. Quid igitur ſtudioſius cavit Claudius, novo hoc genere electionis & ſacramenti, licitatus Imperium, inter Magiſtratus pro libertate Senatum legitimum cogentes? Addiſcimus ex eodem Suetonio, qui ſtatim ſubdit: *Imperio ſtabilito, nihil antiquius duxit, quam id biduum, quo de mutando Reipublicae ſtatu haeſitatum fuerat, memoriae eximere.* MEMORIAE igitur EXIMERE tempus illud, quo fuerat haeſitatum de Reipublicae ſtatu invertendo, ea potior & prima cura Claudii imperantis fuit. Neque id praeſtare ſecurius, ac perennius potuit, quam Conſulum & Acto-

rum,

Digitized by Google

rum, ipſiuſque anni memoria penitus ſuppreſſa. Faſtis itaque inferri vetuit diem, ceteroqui memorabilem, Imperii ſibi delati, ut capite proximo narrat idem Suetonius: *Caji quoque etſi Acta omnia reſcidit, diem tamen necis, quamquam exordium Principatus ſui, vetuit inter Faſtos* ( alii legunt *Feſtos* ) *referri*.

Eadem ferme tranſtulit Dio in ſuam Hiſtoriam initio libri LX, quae repetere non eſt neceſſarium. Juvat quidem obſervare ex hoc Hiſtorico, Senatus Conſultum illico propoſitum, de ignominia notanda Cajo; cui licet Claudius interceſſerit, ejus attamen ſtatuas noctu de medio tolli mandavit. Juvat etiam commemorare aliud decretum Senatus, editum imperante Claudio, cum is, Britannia Inſula Imperio addita, dedecus a Cajo inflictum Romano nomini ſua virtute redemit. *Senatus*, inquit, *rebus geſtis cognitis, Britannici cognomentum ei, triumphum, ludos annuos, arcum tropaea ferentem in Urbe, alterumque in Gallia ( unde in Britanniam trajecerat ), filio idem cognomen, ut quaſi proprio ſuo nomine Britannicus diceretur, Meſſalinae primum in conſeſſu locum, ut Liviae quondam, utque carpento veheretur, decreverunt. Contra Caji memoriam aegre ferentes, omne æreum numiſma, quod ejus imaginem haberet, conflari juſſerunt. Id quidem*

*dem factum, non tamen aes in meliorem uſum converſum, quia Meſſalina ex eo Mneſteris hiſtrionis ſtatuas fecit &c.* Hoc, inquam, Decretum commemoraſſe juvat; ne forte miretur quiſpiam, Nummos Caji Principis non obſervari, quintum ejus Imperii annum numerantes. Exoſam illius monſtri memoriam, quae nullis propemodum marmoribus ſuperſtes relicta eſt, cum Senatus Conſulto providenter edito poſt ejus deceſſum e Nummis etiam auferri curaverit ampliſſimus Ordo, facilius in recentioribus numiſmatibus ſupprimere potuerunt ii, qui colligebant, quam in ſuperioribus multo ante diſtributis: praeſertim, cum caedes illius contigerit menſe Januario paucis admodum diebus, poſtquam in ſtrenas Kalendarum ſtips collata fuerat ex veteri conſuetudine ſtanti pro Aedibus a Populo Romano, & ſignata anno ſui regiminis poſtremo (1). Quinimmo etiam pauciſſimi Nummi cum ſint, qui ejus imaginem cum TR. POT. IIII. conjunctam ferant, comprobatur eorundem ſuppreſſio, utpote ſatis recentium, nec diſtractorum in plures uſus, fuiſſe non admodum difficilis curatoribus ad colligendum, ut funderetur in Mneſteris ſimulacrum. Suppetunt igitur cauſae, cur poſtremi anni, quo Cajus imperavit, omne monumentum

(1) Sueton. in Calig. cap. 42.

tum ſublatum fuerit, & ab hominum memoria abolitum, conſpirantibus ad evertendam ejus anni memoriam Senatu, & Principe: illo quidem, dum decernit infamiam Cajano nomini, ejuſque Nummos conflari ſatagit, & ad priſtinum libertatis uſum Rempublicam excitare; hoc vero, dum decreta Senatus de libertate, Conſuleſque eos, quibus auctoribus rogationes propoſitae perlataeque fuerant, aeternae oblivioni mandari curat, & e Faſtis eradi (una cum imagine liberi Magiſtratus) diem, ac tempus, ſibi ceteroqui felix & fauſtum, quo, Cajo vulneribus confecto, Cheraeae manus, & ſociorum, viam fecerant Imperio Claudii; licet una protulerit exemplum Imperantis formidandum, unde conſtabat, ſupereſſe adhuc in Urbe quoſdam igniculos libertatis.

Nova autem ratio non fuit, abolendae memoriae Conſulis, qui res novas moliretur: nam Sejani nomen idcirco non inſculptum Lapidi Nolano (1), cum Collega Tiberio V. Conſule, docet Cardinalis Noriſius *Epiſtolae Conſularis* pag. 13., (ubi Suffecti ſunt inciſi, a veteribus Hiſtoricis perperam relati), & in Lapide Interamnati M. Furius Camillus Scribonianus expunctus, & male a Suetonio (*in Oth.* cap. 2.) attributus Genti Aruntiae (2).

Ex

(1) Gruterus pag. 1087.
(2) Vide Noris *Epiſt. Conſ.* pag. 16.

Ex his, quae hactenus in medium protulimus, tum iſto Capite, tum proxime praecedenti, conſtare poſſe reor, tum de anno reſtituendo Faſtis Romanis poſt quartum Conſulatum Caji Principis ante exordium Claudii Imperantis, tum de cauſis, quibus ex hominum memoria ejus anni documenta ſublata fuerint, oblivionem rerum eo tempore geſtarum mutuo decernentibus Senatu, & Imperatore. Et certe omnino interceptam illius hiſtoriam amiſiſſet Chronologia, niſi ſigna ejus conſpicua ab Hiſtoricis aliud agentibus colligerentur: adeo ut aptari etiam huic poſſit, quod Tacitus ſcribit in Vita Agricolae: *Memoriam quoque ipſam cum voce perdidiſſemus, ſi tam in noſtra poteſtate eſſet oblivisci, quam tacere*.

Supereſt unum praeſtandum ad integram reparationem Chronologiae, nempe ut experiamur, an poſſint certi Conſules Ordinarii aſſignari anno poſtremo Caji, quos data opera ſuppreſſos, & oblivioni demandatos fuiſſe vidimus. Nam priorum quatuor annorum Collegia poſt Acerronium Proculum & Pontium Nigrinum, qui annum ſignaverant Tiberii emortualem, ſatis apte exhibentur in Faſtis vulgatis. Sunt enim Aerae Chriſti Communis

Aerae

| Aerae Christi Communis. Juxta alios | Juxta nos. | |
|---|---|---|
| anno 37. | 36. | Cn. Acerronius Proculus C. Pontius Nigrinus. |
| 38. | 37. | M. Aquilius Julianus P. Nonius Aſprenas. |
| 39. | 38. | C. Caeſar Germ. II. L. Apronius Caeſianus. |
| 40. | 39. | C. Caeſar Germ. III. ſolus. |
| 41. | 40. | C. Caeſar Germ. IIII. Cn. Sentius Saturninus. |

Qui autem ſequantur anno Aerae Communis juxta nos 41., a Claudio & a Senatu ſuppreſſi, non eſt ita facile conſtituere, praeſertim cum biduo poſt necem Caji ferme in ordinem privatorum redacti fuerint. Alterum tamen ex his nominat Joſephus, uno quidem in loco Q. Pompejum, nempe *Antiquit.* lib. 19. cap. 3, alibi vero Pomponium Secundum, nempe *de Bello Judaico* lib. 2. cap. 10., cui etiam Collegam nominat Sentium Saturninum. Huic autem Pomponio Publii praenomen adſcribi ſolet ex Tacito, memorante anno Sexto Claudii P. Pomponium Secundum Conſularem. Lapis antiquus anno 1691. apud Vejos effoſſus, & in Muſeum Ciampinium translatus, atque a

Cl. Fabretto *Inſcript. Antiq.* pag. 701. num. 224. editus, (quem heic damus), videtur memorare P. Pomponium Conſulem cum T. Statilio Tauro circa hanc aetatem:

GELOS. DIVI. AVGVSTI. L. EX. DEC......
POST. MORTEM. FILII. SVI. NO.....
FECIT. ET. DEDICA......
IIII. NONAS. MAIAS. T. STATILIO. TAVRO. P. POMPO....

quam aetatem indicat Gelos Divi Auguſti Libertus adhuc ſuperſtes. An vero T. Statilius Taurus fuerit Conſul Ordinarius cum P. Pomponio, vel Suffectus, poſtquam alter ex Conſulibus (ſive is fuerit Q. Pompejus a Joſepho memoratus lib. 19. cap. 3., ſive quiſpiam alius) in ordinem redactus eſt; divinare non auſim. Indicabo nomina alterius etiam Conſulatus, qui habendus eſſet Ordinarius, utpote ſignatus Kalendis Januarii in antiqua teſſera apud Fabrettum Inſcript. cap. 1. num. 191., quae extabat apud Illuſtriſſimum D. Didacum a Vidania, & ad primum Aerae Chriſtianae Saeculum referendus; cum ultra hoc tempus teſſerae Gladiatoriae non reperiantur Conſulibus inſcriptae:

MAR-

MARTIALIS
MANLII
SP. K. IAN
TI. CATIO. P. CAELER

Fortaſſis ad hanc aetatem referendi ſunt Conſules (ſive Ordinarii fuerint, ſive Suffecti), qui leguntur in fragmento antiqui Marmoris, aſſervato in Villa olim Boſia, nunc Caeſarina:

pro ſalute AVG.
SACRUM
et DOMVS DIvinae....
....S. FORTVNATVS. C. IVLIVS
MACEDO. Q. MAESIVS. EVariſtus
pORTICV. SVA. PEC. REFICIVNDA
ob dedicatioNEM. EIVS. PANEM. VINVM
SPORTVLAS. TORQVATO. ASPRENATE
L. SERGIO. PAVLLO COS.

Sergium enim Paulum Proconſulem Cypri, praedicatione Doctoris Gentium ad fidem converſum (Act. 13.) refert Baronius ad annum Aerae Chriſti 46. Ciliciae & Cypri adminiſtratione Proconſulari poteſtate donatum. Si autem Ciliciam Provinciam ſortitus eſt anno

poſt Conſulatum quinto, vel quarto, aut tertio, recte incidit ejus Conſulatus in annum 41 Aerae Vulgaris. Sergium Paulum ſecundum Cos. habet etiam Gruterus in alio Lapide pag. 180., effoſſo in Foro Romano. Meurſius eundem refert Proconſulem Cypri ſub Tiberio: Baronius ſub Claudio, ad annum 46 Chriſti.

Occurrunt etiam alii Conſules apud Frontinum inter annum 34. & 49. Aerae Chriſtianae, qui in Faſtis non reperiuntur, nempe Sextus Nonius Celer, & Junius Quinctilianus, & videntur cenſeri inter Ordinarios. Nam ibi ſuſcepit Frontinus catalogum attexere eorum, qui Curatores Aquarum Publicarum ſubinde conſtituti fuerant, a prima origine Magiſtratus ſub Auguſto, Q. Aelio Tuberone P. Fabio Maximo Coſs., ad Conſulatum tertium Imperatoris Nervae & Virginii Rufi, quo anno eandem curam ipſe receperat. Singulis Curatoribus aſſignat Coſs. Ordinarios ejus anni, quo eligebantur: ſed Caligulae ſub Imperio Curatores ita diſponit: *Lenati* (ſucceſſit), *Juniano & Nonio Aſprenate Coſs. Aquila. Huic ſucceſſit M. Porcius Cato. Poſt quem, Sexto Nonio Celere & Junio Quintiliano Coſs. Didius Gallus: Gallo, Q. Veranio Pompejo Longino Coſs.*

*Coſs. Cn. Domitius Afer &c.* Junianus & Nonius Aſprenas fuerunt Coſs. Ordinarii Kal. Januariis, quae primae numerabantur imperante Caligula tunc valetudine impedito. Q. autem Veranius & Pompejus Longinus proceſſerunt Coſs. Ordinarii Aerae Chriſti Vulgaris anno 49, Claudii nono vertente. Qui ſunt igitur medii Coſs. inter hos extremos, vel ad Imperium Caji, vel ad priores novem Claudii annos ſunt referendi. At eorum, qui ſub Claudio fuere, ſeries probatur ex veteribus Lapidibus, ac Nummis, atque ex Hiſtoricis; nec inter hos uſpiam leguntur Nonius Celer, & Junius Quintilianus. Supereſt itaque, ut ad Cajum imperantem ſint referendi: quo tempore etiamſi fortaſſis ſuffecti fuerint, attamen nominati ſunt loco Ordinariorum, iis praecipue annis, quibus, cum Cajus ipſe Conſulatum Ordinarium iniviſſet, viſum eſt poſteris, e Faſtis eradere perditi Principis nomen, & ad infamiam natum: cum ceteroquin ſuffectis Coſs. aſſignare nomina Curatorum, ſibi invicem ſuccedentium, Frontini mos ibi non ſit, uti patet ex quindecim aliis ſucceſſionibus ibidem recenſitis per Conſules Ordinarios. Sane ad hanc ſententiam proxime accedit Reineſius Claſſe I. num. CXV., ubi in ſaxo Beneventano nactus ve-

veſtigia hujus Conſulatus ita ſignata, *cele*RE ET *quinctil*IANO COSS, hos eoſdem ſuffectos Conſules in Principatu Caji eſt ſubodoratus.

Haec igitur indicia Conſulum, ad Caji aetatem pertinentium, attuliſſe ſufficiat. Ulterius progredi, ſtatuendo mihi, non licet. Videor enim providentius facturus, ſi Frontini ſequar exemplum, hoc loco maxime memorandum, & approbandum. Obſervo ſucceſſionem M. Porcii Catonis, quae cognoſcitur incidere in Cajana tempora, nullis Conſulibus a Frontino inſigniri; cum reliquae omnes, tum praecedentes, tum conſequentes, ſuis Conſulibus ſingillatim aſſignentur. An illa forſan inciderat in ipſum par Conſulum e Faſtis exemptum una cum anno Cajanae caedis? vel in annum tertii Conſulatus, quem Cajus iniit Lugduni ſolus, neque alio nomine in Commentarios referendus a Frontino fuit, quod nullus ſcilicet eſſet Collega, qui cum Caligula proceſſiſſet? Malo id aliis decernendum relinquere, ex documentis quae uberiora forſitan feret poſterior aetas; quam cum periculo temeritatis alterutrum nunc affirmare. Satis mihi eſt, ad comprobandam luxationem Faſtorum ſub Cajo, oſtendiſſe accuratam Fronti-

ni

ni diligentiam in ordinanda deceſſorum ſuorum Chronologia ubique feliciter procedentem in ſolis Conſulibus ad extrema Caji tempora pertinentibus, ſilentio ſibi, & veritati conſulere maluiſſe.

Series igitur Chronologica Imperii Cajani, ita videtur ordinanda ex hactenus productis documentis Nummorum, & Lapidum, ac teſtimoniis Hiſtoricorum.



Digitized by Google

| Aerae Chriſti Communis. Juxta alios | Juxta nos. | CONSULES ORDINARII. |
|---|---|---|
| 37. | 36. | ( *Cn. Acerronius Proculus.*<br>( *C. Petronius Pontius Nigrinus.*<br>TIBERIO MORTVO A. D. XVII. KAL. APRILIS IMPERAT CAIVS.<br>Herodes Agrippa donatur Regno. *Joſephus, Philo, & Dio.* |
| 38. | 37. | ( *M. Aquilius Julianus.*<br>( *P. Nonius Aſprenas.*<br>Herodes Agrippa navigat in Syriam. *Joſephus, Philo, & Dio.* |
| 39. | 38. | ( *C. Caeſar Germanicus Divi Aug. Pronepos II.*<br>( *L. Apronius Caeſianus.*<br>Herodes Antipas Tetrarchia exuitur, & relegatur. |
| 40. | 39. | ( *C. Caeſar Germanicus Divi Aug. Pron. III.*<br>( *ſolus.*<br>Herodis Tetrarchae Ditio attribuitur Agrippae, qui redit in Italiam ad gratias Cajo referendas. |
| 41. | 40. | ( *C. Caeſar Germanicus Divi Aug. Pron. IIII.*<br>( *Cn. Sentius Saturninus.*<br>C. Caeſaris Auguſti expeditio Germanica, & Britannica. |
| Annus reſtitutus Faſtis. | 41. | (COSS. IN ORDINEM REDACTI fortaſſe<br>( *Q. Pompeius,*<br>( *P. Pomponius Secundus.*<br>OCCISO CAIO A. D. IX. KAL. FEBR. IMPERAT CLAVDIVS. |
| 42. | 42. | ( *Ti. Claudius Aug. II.*<br>( *C. Caecina Largus.* |

CON-

## CONSULUM DOCUMENTA.

Tabella aenea, in qua Jusjurandum Arilienſium Cajo praeſtitum his Conſulibus V. Idus Maji, apud Didacum Vincentium a Vidania, & Fabrettum *Inſcript.* in Tabula aenea pag. 674.

Frontinus de Aquaeductibus pag. mihi 101. & 119. & Faſti Anonymi.

Nummi: Auctor Vitae Lucani: Dio: & Theſaur. Graevii *Ant. Rom.* Tom. XI.

Nummi: Dio: & Suetonius.

Nummi: Dio: & Suetonius.



Digitized by Google

XI.Kal.Maji iiſdem Coſs.juxta vulgatam Chronologiam: unde ſi numerentur anni 272. ſolidi, poſtremus ejuſdem Aerae in Nummo impreſſus, habetur U. C. 1006., idemque Periodi Julianae 4966., Aerae Chriſti Vulgaris 253., & primus Valeriani. Sin autem medius inſeratur annus, quem nos reſtituendum eſſe contendimus, cum M. Appulejus & P. Silius Coſs. retrahantur ad U. C. 733., numerus Aerae Anazarbi 272. totus abſumitur, antequam Valerianus capeſſat Imperium.

Supponitur Aerae Anazarbi deductum exordium ex Autumno ejus anni, quem aperuerunt M. Appulejus & P. Silius Conſules, quod Auguſtus tum temporis in Aſiam profectus ſit, *ibique, & in Bithynia omnia conſtituerit* (ait Dio) *non minus eas, ut & priores Provincias, quum eſſent populi, quam ſuas procurans.* Darem itaque libenter manus ad Aeram Anazarbi inde numerandam, ſi inter Aſiae, aut Bithyniae Civitates Anazarbus cenſeretur. Verum, cum ſpectet ad Ciliciam, in qua idem Auguſtus anno proximo (quem Conſules ſignarunt C. Sentius Saturninus & Q. Lucretius ex eodem Dione) multa conſtituit, & praeſertim Ciliciae Principatum Tarcondimoto filio, a Patre cognomine antea poſſeſſum, attribuit, exceptis quibuſdam maritimis, quae Archelao

donavit, una cum minoris Armeniae Regno; videtur potius ab hoc anno, quam a ſuperiori, exordium Epochae fuiſſe deductum. Ab his profecto Conſulibus ineunte Autumno eſſe numerandam cenſeo Aeram Anazarbi, non tamen gratia Tarcondimoti, aut diviſae in plures Reges Provinciae Ciliciae, quae parum honorifica partitio videri debuit Anazarbo; ſed a novis honoribus, & ampliſſima poteſtate Auguſto reduci tum primum attributa a Senatu Populoque Romano, quam ita deſcribit Dio in Conſulatu C. Sentii & Q. Lucretii: *Decretum ei eſt, ut Magiſter morum per quinque annos eſſet; poteſtatemque Cenſoriam per id temporis, Conſularem autem quamdiu viveret, haberet; ut ſemper, & ubique faſces ei duodecim praeferrentur, ac in medio Conſulum ſemper ſella curuli ſederet. Haec quum decreviſſent, contenderunt ab ipſo, ut emendaret omnia ſuo arbitrio, & leges, quas vellet, ferret: iiſque Auguſtarum nomen indiderunt, ac obtemperaturos unanimiter illis velle ſe juramento obſtringere profeſſi ſunt. Auguſtus, quum reliqua, ut neceſſaria admiſiſſet, juramentum eis remiſit.*

Hoc igitur anno Conſularis poteſtas, & Cenſoria, una cum inſignibus perpetuo decreta, inſuper & legum quarumcumque ferendarum arbitrium, & citra nominis invidiam Regia

gia poteſtas omnis in Auguſtum collata eſt: quae potior mihi videtur cauſa, Civibus Anazarbi, Diocaeſareae nomen ab eo conſecutae, ut mox dicemus, Epocham hinc exordiendi, quam ab aliqua Ciliciae parte diſtracta in Archelaum, & renovato Principatu anno ſuperiori Tarcondimoti: praeſertim cum videam, nec Samum, hoc in Auguſti reditu, libertate ab ipſo donatam, nec ullas Aſiae, aut Bithyniae Civitates anno ſuperiori conſtitutas, Epocharum ſuarum exordia inde trahere voluiſſe. Vaillantius in Nummis Graecis aliam quoque indicat occaſionem novae Epochae Anazarbo conſtituendae, petitam ex Suida; qui refert, ad eandem Urbem terrae motu collapſam miſſum ab Auguſto fuiſſe Senatorem nomine Anazarbum, unde & Civitas prius dicta Quinda Anazarbi, vocabulum ſumpſit a Curatore; quemadmodum etiam aſſerit vocatam eſſe Diocaeſaream ab Auguſto reſtitutore. Haec autem reſtitutio non attribuitur certis Conſulibus a Suida. Quare liberam relinquit decernendi facultatem, ut a C. Sentio & Q. Lucretio, potius quam a M. Appulejo & P. Silio Conſulibus ſit Aera deducenda, quum illis Conſulibus Auguſtarum Legum ferendarum ſit ei tributa poteſtas, a quo Diocaeſareae nomen obtinuit Anazarbus reſtituta.

Eſt alia Ciliciae Civitas, quae nomen de-

du-

licia Aſpera eodem anno, quo Conſul fuit C. Sentius Saturninus, ſi textum Dionis ſequimur, qui ex communi Chronologia a Vaillantio admiſſa habetur U. C. 735. quo etiam Conſulatu honores illos Auguſtus Romae coepit, quos ſupra diximus. Haec igitur appellatio Sebaſtae ſive Auguſtae attributa Eleuſae, dum Diocaeſarea diceretur in Cilicia, quae prius erat Quinda, & Legum Auguſtarum poteſtas donatori fieret, confirmant ſententiam noſtram, deducentem initium utriuſque Epochae a Conſulatu C. Sentii & Q. Lucretii, U. C. juxta alios 735, juxta nos 734 ex Palilibus, unde numerando per inſertum annum Principatus Cajani ad Valerianum, conſtat ratio 272 in Nummo Anazarbi, & 274. in Nummo Sebaſtenorum.

Sequitur Aegarum Aera obſervanda, dum adhuc in Cilicia verſamur. Hanc (1) eſſe deductam putant ab anno Periodi Julianae 4668, U. C. juxta communem Chronologiam 707: quo ſcilicet juxta Hirtium *de Bello Alexandrino* cap. 66. pag. mihi 443 Julius Caeſar Tarſi in Cilicia degens *rebus omnibus Provinciae, & vicinarum Civitatum conſtitutis, cupiditate proficiſcendi ad bellum contra Pharnacem gerendum, non diutius moratur &c. Itaque Caeſar,* (ait

(1) Noriſ. Epiſt. 378.

(ait Eminentiſſimus Noriſius) *in conventu apud Tarſum eo anno Urbis Romae 707. Aegenſibus autonomiam, aliaſque exemptiones lege dictatoria conceſſit. Hinc iidem in honorem Caeſaris, Antiochenſium, ac Laodicenorum exemplo, novam Urbis ſuae Epocham inſtituerunt, cujus prior annus coepit ab Autumno ejuſdem anni ab Urbe Condita 707. Quare annus ejus Aerae CCLXIV in Diadumeniani Caeſaris Nummo ſignatus, iniit ab Autumno Anno Urbis Romae 970., Chriſti 217., ac primo Imperii Macrini.* Huic Nummo alios adjungit Vaillantius percuſſos Aemiliano, & ſignatos Aera θϙc 299. Cum vero Aemiliani Imperium trimeſtre fuerit, & in vernam inciderit tempeſtatem anni Aerae Chriſti Vulgaris 253., ineunte a Palilibus anno U. C. 1006., perſpicuum eſt, Aegarum Epocham inchoaſſe U. C. 707., & Conſulatum Caleni & Vatinii poſt alteram Caeſaris Dictaturam ad eundem annum eſſe referendum, nec retrahendum ad 706., ut noſtra fert Chronologia.

Diſſoluta jam fuit haec difficultas Cap. IV. hujus Diſſertationis §. III. & ſeqq., cum Epochas Antiochenorum, Laodicenorum, & Gabalenſium conferremus invicem, ſingulis annis diſcretas, ſibique invicem ſuccedentes. Oſtendimus ibi, Aeras ejuſmodi, a Civitatibus Sy-

riae

riae aſſumptas, originem debere eidem Caeſaris Dictaturae Secundae, quam is eo anno gerebat, quo redux ab Aegypto poſt bellum Alexandrinum confectum, & movens contra Pharnacem, in Syriam primo conceſſit, *& commoratus fere in omnibus Civitatibus, quae majores ſunt dignitate, praemia benemeritis, & viritim, & publice tribuit, & controverſiis veteribus cognitis, ſtatuit Reges, Tyrannos, Dynaſtas Provinciae, finitimoſque, ut ſcribit Hirtius: deinde profectus eadem Claſſe, qua venerat in Ciliciam, ejus Provinciae Civitates omnes evocat Tarſum, (quod Oppidum fere totius Ciliciae nobiliſſimum fortiſſimumque eſt) ibique, rebus omnibus Provinciae, & finitimarum Civitatum conſtitutis, cupiditate proficiſcendi ad bellum gerendum non diutius moratur &c.* Hac, inquam, ex Dictatura Caeſaris, & Anno, diverſae emanarunt Epochae Antiochenorum, Laodicenſium, & Gabalorum (addamus heic etiam Cilicum), per annum ſolidum, vel plures etiam invicem diſcretae; quia ſcilicet beneficium Caeſaris nonnullae in biennium, aliae in annum tantummodo retraxerunt; prout immunitas tributorum, quæ fuerant indicta a Pompejanis, rationes ſingularum in anteceſſum retraxit. Signatur itaque in Nummis, non quidem annus ordinatae Provinciae a Caeſare, &

latae legis ( qui foret idem in omnibus antea memoratis ); ſed annus, ad quem pertrahitur receptae immunitatis beneficium. Propterea nihil refert, an Calenus & Vatinius, vel alii Conſules ſignaverint annum latae legis, & indeptae libertatis a Caeſare; cum inde non ſit exordium Epochae deducendum, ſed ab anno, ſive annis proxime praecedentibus ejuſdem Luſtri, pro vario temporis intervallo, ad quod diverſimmode extenditur remiſſio Tributorum, ita perſolvendorum a Civitatibus quinto quoque anno; ut initium quinquennalis perſolutionis maturius aut ſerius afferret anterior aut poſterior deditio Loci, & lex imperati antea tributi ſubjectae Provinciae, aut Civitati.

IN-

Digitized by Google

# INDEX OPUSCULORUM.

Epiſtola Blanchini ad Lanciſium, *de profunditate Laci Albani.* Pagina 1
—*De diſtantia Caſtri Candulphi ab Urbe.* 8
—*De Albani aeris ſalubritate.* 23
—*Cur corpora eorum, qui ſuffocati in aquis perierunt, poſtquam pluribus diebus in imo aquae ſtagnaverint, ultro ſuper ejus ſuperficiem aſcendant.* 25
*Experimenta a* Franciſco Blanchino *peracta in decem generibus aquarum anno* 1709. 35
Epiſtola Cuperi ad Fontaninum, *de antiqua Statua, quae comitem habet Gruem; & de Inſcriptione quadam Palmyrena.* 51
Epiſtola Blanchini ad Cuperum, *de eadem Inſcriptione Palmyrena.* 55
Epiſtola Cuperi ad Blanchinum, *de eadem Inſcriptione; de ruinis Perſepo-*

*ſepoleos ; de Statua Bacchi ; & de Kalendario, & Cyclo Caeſaris.* 60
*—De eadem Inſcriptione Palmyrena ; & de Characteribus Perſepoleos.* 69
*—De nonnullis aureis Nummis Veſpaſiani, Gordiani, & Trajani Decii ; de icuncula aerea Barbari Ducis vel Regis, cujus e collo pendet Conſtantini Magni nummus ; & de Nummo Imp. Honorii.* 77
Epiſtola Ant. Mariae Salvini ad Blanchinum, *de inſigni quadam Inſcriptione* Graeca *bis ſepulti pueri*. 87
Judicium Franciſci Blanchini, *de Vaſe antiqui operis, ex achate ſolido variegato, mira elegantia ſculpto, & aſſervato Parmae inter Cimelia lectiora Sereniſſimorum Ducum Farneſiorum.* 92
Diſſertatio Franciſci Blanchini *de Anno Mortis Chriſti.* 98

*F I N I S.*

Digitized by Google